





Nat. 7

MICHAEL KRISTE  
20 1655





ΑΝΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑΣ  
SACRÆ  
DISPUTATIO XXIIIX.

*De*

ARGUMENTIS  
PONTIFICIORUM, QUI-  
BUS CONTRA JUSTICIAM IMPUTA-  
TAM PRO INHÆRENTE PUGNARE  
CONSVEVERUNT.

In inclyta VVitteb. Academia  
ad placidam collationem proposita,

SUB PRÆSIDIO

BALTH. MEISNERI, SS. Th. D.  
& Profefs. Publ.

RESPONDENTE,

THEODORO von Essen / GRIPSWAL-  
dense Pomerano.

*Habebitur ad diem 3. Octobris.*

---

WITTEBERGÆ,  
Typis GORMANNIANIS, Anno 1618.





ΑΝΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑΣ

SACRÆ

DISPUTATIO XXIIII.

De

ARGUMENTIS PAPI-

STICIS PRO JUSTITIA IN-  
HÆRENTE.

THESIS I.



Um articulus de justificatione cardinalis sit, à quo multi dependent alii, propterea Romanenses, modis omnibus sese opponunt nobis, & variis argumentorum generibus, justitiam Christi imputatam, veræ religionis arcem, invadere & expugnare moluntur. Illa igitur examinanda veniunt, & quid roboris contineant, videntum ac diligenter considerandum. Nos in classes distinctas illa dispescemus, quoniam *quædam* argumenta probant dispositionum necessitatem, *quædam* operum justitiam, *quædam* diffusum justitiæ habitum, *Aliæ* imputatæ *δικαιοσύνη*, & fidei, quòd sola justificet, opponi consueverunt. Ne igitur confusio turbet memoriam, & Lectori creetur tædium, distinctè objectiones Papisticas tum proponere, tum enervare nobis est animus.

Classis prima, continens dicta, quibus timori justificatio adscribitur.

II. Bellarm. *l. 1. de Justific. c. 13.* septem enumerat dispositiones, quibus omnibus justificationem in Scripturis attribui, tanquam dispositionibus præparantibus, probare annititur. Sunt verò 1. *Fides.* 2. *Timor.* 3. *Spes.* 4. *Dilectio.* 5. *Dolor seu contritio.* 6. *Propositum Sacramenti reipsâ percipiendi.* 7. *Propositum novæ vitæ.* Fidem justificare utrinque in confesso est: De reliquis ergo dispositionibus tantum agendum restat, ideoque ordiemur à *Timore*, cui quòd justificatio

Septem dispo-  
sitiones Ponti-  
ficiorum.





stificatio adsignetur, sequentibus dictis stabilire vult Bellarminus, Ecclesiast. i. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum, Nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Similia extant Psal. 110. v. 10. Prov. i. v. 7. c. 9. v. 10. Ecclesiast. i. v. 16, Esai. 26. &c. Addit insuper rationem hanc, quia natura timoris sit, ut fugiat mala, & quærat remedia, quibus illa possit evadere. Huc referunt nonnulli & istud Philip, 2. v. 12. *Operamini salutem vestram cum timore & tremore.*

III. Resp. 1. GENERALITER. Timor Dei in Scripturis & apud Patres sumitur æquivocè: *Vel enim notat fidei antecedens, vel fidem ipsam, vel consequens fidei. Antecedens notat, quando pro timore servili accipitur, qualem hic intelligit Bellarminus, & cadit etiam in infideles, conscientia morsum sentientes, unde timor exoritur. Fidem ipsam notat, cum pro toto cultu divino, seu proprietate accipitur, & sic cognitionem articulorum simulque fiduciam involuit. Fidei consequens significat, quando pro timore filiali sumitur, qui est studium vitandi peccata, & præstandi justitiam, ideoque fidem, tanquam fructus bonam arborem consequitur. Quæcunque autem dictis allegatis timore Dei tribuntur, ea non tribuntur timori in prima significatione, ut vult Bellarminus, sed vel in secundâ per Synechdochen, vel in tertiâ per Metonymiam effecti. Nam timor illa servilis reperitur etiam in infidelibus, desperantibus & damnatis. Ergo nec descendendum, quod timor ipsorum peccata expellat, quod sit in iis sapientia, id est, perfectæ justificationis, ut Bellarminus exponit, initium; quod sit in iis fons vitæ, quod conceperint & pepererint per eum Spiritum salutis? Quæ omnia cum sint absona, idcirco de timore servili dicta ista intelligi minimè possunt.*

*Timor sumitur dupliciter.*

IV. 2. SPECIALITER ad dictum Ecclesiastici i. v. 27. & Psal. 110. v. 10. respondemus, per timorem intelligi nihil aliud, quam totum cultum divinum, quem nos aliàs vocamus pietatem Gottesfurcht/Ea propter Tremellius vertit, Reverentia Domini. Et quia pietatis princeps pars est Fides, per Synechdochen toti attribuitur depulsio peccati, quæ propriè est partis. Ista verò verba: *sine timore nemo potest justificari*, non reperiuntur in textu, quippè qui sic habet: *ὁ δυνήσεται ἰουάνης ἀνὴρ δικαίω ἴνα, ἢ ὃδ ποτὴ τὸ ἰουὸ ἀντὶ κτώσας ἀντὸς*, Id est, *non potest iracundus vir justificari, &c.* quod vel intelligi potest de justificatione coram politico iudice,



ut sit sensus, eos qui iracundiæ suæ indulgent, committere tandem ea flagitia, propter quæ in iudicium tracti, non possunt justificari, id est absolvi: *Vel de justificatione coram Deo, ut sit sensus, eum, qui iracundus est, nec fratri suo libenter ignoscit, non justificari. Atque sic congrueret cum illo: Remitte, & remittetur vobis. Ex Expositis* respondemus de vulgata versione, non dici timorem justificare, sed *neminem, qui sine timore est, justificari, quod ipsi concedimus.* Hic enim ordo in conversione observatur, ut præcedat timor, dolor, contritio, sed hæc non justificant, nec justificationem merentur, quod volunt Pontificii. *Dictum Esaiæ,* planè nihil agit de justificatione & salute hominis, ut patet cuivis textum inspicienti. Idem respondetur ad alia. Nec enim probatur timorem justificare, sed illum semper præcedere justificationem, quod non negamus. Qui enim convertitur vel justificatur illi proponitur legis maledictio & ira DEI, quam promeruit, unde oritur *Timor,* qui etiam in Caino & Judâ aderat. Hic verò timor non justificat, nec justificationem meretur, tanquam dispositio de congruo, aliàs & Judas fuisset justificatus, *Phil, 2. v. 12,* salus non adscribitur timori & tremori, sed prohibetur securitas. Ille enim tremor & timor, qui etiam *Psal. 2. v. 11,* præcipitur, nihil est aliud quàm *filiæ reverentia,* quoad DEVM, *vigilantia,* quoad Diabolum, *prudencia & constantia* quoad mundum & propriam carnem: sensusq; simplicissimus est, quòd ita debeamus credere in Christum & expectare vitam æternam, ne efferamur animo & reddamur securi.

## Classis secunda,

Continens dicta, quibus spei justificatio tribuitur.

V. Profert Bellarm. hæc dicta. *Prov. 28. v. 25. Qui sperat in Domino, salvabitur, Psal. 37. v. 40. Salvabit eos, quia speraverunt in eo. Ps. 91. v. 14. Quoniam in me speravit, liberabo eum, Matth. 9. v. 2. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

*Spes dupliciter accipitur.*

VI. Resp. 1. GENERALITER Spei vocabulum aliquando sumitur pro ipsâ *fiduciâ,* sicut & verbum sperare modò fidere, modò aliquid expectare significat: Aliquando sumitur *oppositè,* ut fides sit de rebus præteritis & præsentibus, spes tantùm de futuris. *Priori,* non posteriori modo accipitur in dictis allega-



tis. Frequentissimum enim hoc est in Psalmis, ut sperare ponatur pro *confidere*.

2. SPECIALITER, dicta ex Proverbiis & Psalmis citata, non loquuntur de adeptione remissionis peccatorum, sed de felicitate externâ & liberatione à periculis externis. Nec in dicto illo Prov. 28. v. 25. habetur verbum sanabitur, sed rad. יָשַׁר, pinguis efficietur. Pl. 91. v. 16. non habetur, quia in me speravit, sed quia in me amore propendet. Dictum Matth. 9. non de spe, sed vera & constanti fiducia & confidentiâ loquitur. Lubenter autem Bellarmino concedimus, fiduciam ordine naturæ priorem esse ipsâ peccatorum remissione, illa enim hujus causa est: Hoc verò non sequitur, quòd sit prior tempore. Quare, hic est sensus dicti Evangelici, *confide fili*, id est, fiduciam concipe & firmissimè crede, sic enim tua tibi peccata remittentur. Hic remissio peccatorum, & consequenter justificatio non timori, non etiam alii alicui, dispositioni adscribitur, sed soli fidei. Certissimum enim est, Christum plenariè docuisse Paralyticum, quomodo consequi posset peccatorum remissionem; nullius autem meminit dispositionis, sed solam nominat fiduciam.

VII. Referrî huc etiam posset illud Rom. 8. v. 24. τῆ ἐλπίδι ἐσώθημεν, spe salvi facti sumus. Ergò non solâ fide. Resp. Dupliciter hic locus intelligitur. 1. Vel de reconciliatione hominis seu justificatione, quæ fit per fidem, ut cum dicitur, fides tua te salvum fecit. Item, gratiâ estis salvati per fidem. Et tunc per ἐλπίδα nihil intelligitur aliud quàm ipsa πίστις. 2. Vel de gloriâ futuræ vitæ, seu de finali liberatione & glorificatione post hanc vitam, quam adhuc speramus & expectamus. Cum igitur dicit Apostolus, Spe salvati sumus, intelligi potest glorificatio, hoc est, Apostolus significat non quòd spe simus justificati, sed quòd spe, non re simus glorificati & liberati ab omnibus miseriis, de quibus in præcæ sententibus dixerat. Sensus ergò est: Vitam æternam non re, sed spe possidemus in hac vitâ. Nunc enim Dei filii sumus, sed nondum apparet quòd erimus, 1. Iohan. 3. v. 2.

Classis tertia, continens dicta, quibus dilectioni justificatio attribuitur.

IIIX. Ecclesiast. v. 10. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illum  
A 3 mina,



minabuntur corda vestra. Luc. 7. v. 47. Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit mundum. Galat. 5. v. 6. Neque circumcisio aliquid valet, neque preputium, sed fides, quae per dilectionem operatur. 1. Joh. 3. v. 14. Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Addunt alii sequentia 1. Cor. 13. v. 2. Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum: Item: Nunc manet fides, spes, charitas, sed maxima in his charitas. Ergo aequè aut certè magis quàm fides justificabit. Prov. 10. v. 12. Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Johan. 4. v. 12. Si diligimus nos invicem, charitas in nobis manet. Coloss. 3. v. 14. charitas est vinculum perfectionis. Joh. 14. v. 21. Qui diligit me, diligetur à Patre meo. 1. Joh. 4. v. 7. Qui diligit, ex Deo natus est, Rom. 13. v. 8. diligit proximum, legem implevit. Jacob. 2. v. 5. Deus promisit regnum israhel, à quibus dilectus fuerit.

**Dilectio posterior est justificatione.**

**IX. Resp. I. GENERALITER.** Dilectio vera, quae in hoc mundo nunquam perfecta esse potest, nec tempore, nec naturà justificatione prior est, ut potè quae velut effectus, fidem, tanquam causam suam consequitur, non quidem ἀμέσως, sed ἐμμέσως, & hoc ordine, quòd fide primùm accipitur justitia Christi Col. 2. v. 6. & quam in ipso habemus, remissio peccatorum, Eph. 1. v. 7 Act. 26. v. 18. Hinc porrò fide quoque accipitur Spiritus S. Gal. 3. v. 14. promissus credentibus in Christum, Ioh. 7. v. 39. atque sic fide jam justificatis & filiis Dei, Gal. 4. v. 6 qui Spiritus renovationem, charitatem & reliquam novam obedientiam, in justificatis efficere, & operari incipit, Tit. 3. v. 5. 2. Cor. 3. v. 18 Gal. 5. 22. Ezech 36. v. 25. 26. 27. ubi ordo hic exquisitè est expressus. Notari v. hic potest velut obiter & in transcurso, quòd fidei duplex sit ἐπέπυδα; Una primaria & immediata, quae est apprehensio Christi, & non exeritur per charitatem: Altera secundaria & mediata, quae fides, mediante & ordine prius interveniente gratuità hominis justificatione, adoptione & donatione Spiritus sancti, charitatis opera producit. Nullo igitur respectu charitas verà fide prior est, sed semper posterior. Nemo enim diligit Deum, nisi Spiritum sanctum habeat inhabitantem, juxta Rom. 5. v. 5. Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. At nemo hunc Spiritum habet in se, nisi justificatus, quod ipse Bellarminus facile concedit. Vana autè est distinctio ejus, quae discrimen facit inter dilectionem inchoatam & perfectam, Hanc esse non absque habitatione Spiritus sancti, illam autè absque

**Distinctio Papistica inter dilectionem inchoatam & perfectam.**

hac



*hac esse, licet non sine auxilio DEI speciali.* Nam 1. dilectio in hac vita non datur perfecta, sed est & manet in sanctissimis etiam, duntaxat inchoata. 2. Nemo potest diligere Deum ex propriis viribus. Quare accedat: necesse est operatio Spiritus sancti. Hic autem non operatur bona opera, nisi in reconciliatis, quia nemini datur, nisi justificato. 3. Dicta superius allegata nihil concludunt, quia non loquuntur de dilectione non renatorum, sed justificatorum & actu converforum. Hoc igitur evictō, *dilectionem sequi justificationem* concludimus, quod dilectio non justificet formaliter, aut *συνδωός*, sed duntaxat *σημαντικώς* arguitivè vel significativè, Et justificationis potius nota sit, quàm causa, ipsique justificatio attribuat<sup>r</sup> tanquam fructui & effectui, de causa sua testificanti; à posteriori, non priori, Et per consequens, à notâ ad causam vitiosè argumentantur Pontificii,

X. 2. SPECIALITER, ad locum Ecclesiastici 2. dicimus, quod de renatis & Dominum timentibus loquatur. Quare nihil facit ad dilectionem eam, quam Bellarminus statuit præparatoriam. In textu insuper Græco tale nihil legitur, sed versus 8. & 9. ita habet, ut vertit Tremellius: *Qui reverentini Dominum, spem habetote de bonis & de letitia eternitatis ac misericordie, qui reverentini Dominum, expectate misericordiam ejus, neq; declinate, ut non decidatis.* Quid vero hinc patrocini accedit.

XI. Ad Lucæ 7. v. 47. respondemus, dilectionem mulieris ibi non posse constitui causam remissionis. Nam Christus ipse inquit: *De dicto Lucæ 7. v. 47. Fides tuate salvum fecit.* Argumentabatur ergo non à causa, sed ab effectu. Volebat enim cogitationes Simonis confundere, qui iniquum putabat factum, quod Christus ita familiariter cum peccatrice colloqueretur & conversaretur. Itaque ostendere ipsi cupiebat, eam non amplius esse peccatricem, verùm remissa ipsi esse peccata, id quod ostendit à fructu vel effectu, nimirum dilectione. Atque hoc illustrat simili à duobus debitoribus sumpto, tibi condonationem majoris debiti facit causam majoris dilectionis, non contrâ. Et addit, *Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum: Cui autem minus remittitur, is minus diligit.* In quibus posterioribus verbis remissio minoris debiti, causa constituitur minoris dilectionis. Talis etiam sensus est priorum verborum, quod videlicet ista dilectio magna, sit effectus magnæ remissionis.



ὅτι duplex.

nis, ideoque illam non amplius hærere in peccatis. Quod particulam ὅτι attinet, non semper ea significat causam rei, sed sæpè effectum cum causâ conjunctum, ut *Sol ortus est, quia dies est; Tu vivis, quia ambulas; Tu homo es, quia rides.* Causalis igitur adhuc manet particula ὅτι, sed non notat causam rei, verùm conclusionis, est συλλογικὴ non αἰτιολογικὴ. Medius enim terminus, qui causa est conclusionis, non semper desumitur à causa rei, sed sæpius etiam ab affectu, qui illum notificat. Notetur proinde canon hic logicus: *Non quicquid est causa consequentiæ, est etiam causa consequentis, ut non sequitur, Sol ortus est, quia dies est, Ergo dies est causa orti Solis.* Item, *Tu vivis, quia ambulas, Ergo ambulatio tua est causa vitæ tuæ.* Eodem modo non sequitur: *Illi mulieri remissa sunt peccata multa, quia dilexit multum, Ergo dilectio est causa remissionis peccatorum.* Nam dilectio non allegatur ut causa & meritum, sed ut fructus & effectus remissionis, argumentumq; non à priori ad posterius, non à causa ad effectum, sed à posteriori ad prius, ab effectu seu signo ad causam ducitur, quod constat apertissimè ex illo simili, & ex verbis Christi, *Cui minus diligit.* Vera autem remissionis causa ostenditur in sequentibus, ubi Christus dicit, *Fides tua te salvam fecit, abi in pace.* Philippus respondet per distinctionem, quòd duplex sit absolutio; alia privata conscientia luctantis cum ira Dei; hæc fit non propter opera, sed tantùm propter Christum fide apprehensum, unde dicitur: *Fides tua te salvam fecit.* Alia est publica coram Ecclesia; hæc fit propter bona opera, quæ sunt testimonia conversionis, ut hic Christus Phariseo declarat, cur mulierem meretriciam recipiat, nempe quia dilexerit multum, & extent testimonia conversationis.

Multa dicuntur causaliter, quæ sunt intelligendæ eventualiter.

XII. Galat. 5. v. 6. non dicitur de charitate, quòd justificet; sed fides describitur à signo & effectu, vel ἐνεργεία ipsius mediata & secundaria, quòd videlicet per dilectionem operetur. Ad 1. Iohan. 3. vers. 14. respondemus, quòd dilectioni tanquam causæ adscribi nequeat translatio è morte in vitam: Hoc enim fidei proprium, Johan. 5. vers. 15. *Qui credit, transivit à morte in vitam.* Quare huc spectat illa regula Damasceni lib. 4. c. 20. εἰθὲ τῆ γράφῃ ἢ τῶν ἐκβαλτικῶν ὁφέλων τὰ λέγεσθαι, αἰτιολογικῶς λέγεσθαι: *Mos est Scripturæ, quadam quæ eventualiter debent intelligi, causaliter dicere, ut Psal. 51. vers. 6. Tibi soli peccavi, ut justificeris, ubi Propheta non*



non αἴτιον notat, ἀλλάσιν. Non autem peccatum est causa justitiae & veritatis divinæ, sed cum ille peccasset, inde DEUS suam ostendit justitiam, Rom. 11. vers. 32. DEVS conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Sic Johan 12. vers. 39. Propterea ea non poterant credere, ut impleretur verbum Esaiæ. In quem locum ita scribit Theophylactus ὅτι ἐστὶν αἰτιολογίας, ἀλλ' ἐκβάσεως. Sic cum Christus Johan. 9. v. 29. in mundum propterea se venisse ait, ut qui vident, cæci fiant, juxta Græcam Adriani Isagogen, τὸ αἴτιον ὡς αἴτιον ponitur, sive eventus pro causâ. Pari modo interpretari possumus hunc locum: Translati sumus de morte in vitam, quia diligimus fratres, ut particula ὅτι ἐκβάσιν notet, non αἰτίας, & sic sensus: Quia translati sumus è morte in vitam, hinc diligimus fratres. Non igitur à causâ ad effectum, sed contrâ argumentatur Apostolus, Nos scimus, inquit, quòd translati sumus de morte in vitam. Non dicit simpliciter, translati sumus, sed, scimus quòd translati sumus. Unde hoc scimus? Ex effectu, Quia diligimus fratres. Particula igitur ὅτι notat causam consequentiæ, non consequentis.

XIII. Ad 1. Corinth. 13. v. 2. respondemus 1. Si de fide justificante accipimus hunc locum, argumentatur Apostolus ab hypothese impossibili, Si fieri posset, ut omnem fidem habeam, ut omnia bona insuam alendis pauperibus, ut loquar linguis Angelorum, charitatem verò non habeam, nihil sum. Ex hac hypothetica impossibili, contra omnes Logicorum Canones, Pontificii faciunt categoricam. Et Bellarminus lib. 1. c. 15. concedit hanc locutionem Apostoli esse hyperbolicam, quia vidit rei impossibilitatem.

2. Alij respondent, sermonem esse de fide signorum aut miraculorum, quia expressè additur, ut montes transferam. Hanc verò à charitate separari posse, lubenter concedimus. Hic excipiunt Pontificii, fidem non nisi unam esse, Ephel. 4. & fidem signorum esse nihil aliud, nisi veram fidem Christianam, sed excellentem, ut ait Bellarminus, vel ut Stapletonus loquitur, fidei integræ aut plenæ argumentum, magnitudinem, vim & intentionem. Sed Bellarminus lib. 1. cap. 15. sibi ipsi contradicit, Nam col. 981. lit. B. concedit, fidem miraculorum separatam esse posse reipsâ à charitate, & probat ex illo Matth. 7. v. 12. Multi mihi dicent in illo die, nonne in nomine tuo prophetavimus? Idem scribit lib. 1. de gratiâ cap. 10. Et sanè Bileam erat indutus do-

De dicto 1. Corinth. 13. v. 2.



no prophetandi, sed ob id verā fidem non habuit, nec iustifica-  
tus fuit. Mox autem sibi oblitus Bellarminus col. d. lit. D. scri-  
bit, *fidem miraculorum nihil esse aliud, quā veram & excellentem fidem*;  
ex quo sic inferimus: Vera & excellens fides nunquam est sine  
charitate. Fides miraculorum est talis. Ergo nunquam sine  
charitate, quę conclusio contradicit primę Bellarmini assertio-  
ni. Ulterius ita concludimus: *Fides vera & iustifica nunquam*  
*est sine charitate, quod & ipsi concedunt, & facile probatur ex*  
*illo Gal. 5. v. 6. Fides per charitatem operatur.* Atqui fides, de qua 1. Cor.  
13. loquitur Apostolus, est & fuit absq; charitate, fatente Bellar-  
mino. Ergo fides, de qua hīc loquitur Apostolus, non est fides  
iustificans. Notes hic obiter inauditam absurditatem Stapletoni,  
qui in Antidotis fidei Apostolicę pag. 680. ita scribit, *eos qui habent*  
*fidem sine charitate, totum quidem Christum comprehendere, sed malè com-*  
*prehendere.* Contrā Omnis Christi apprehensio, quę fit per fidem,  
est salutaris & bona. Quotquot enim receperunt eum, dedit  
eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus, *Io-*  
*han. 1. v. 12.* Ergo impossibile est, ut detur fides, quę sit malā com-  
prehensio Christi.]

Tandem 3. Alij fidem intelligunt *historicam & hypocriticam,*  
*quin & miraculorum,* omnemq; eam quę est sine fide iustificante.  
Taxat enim Apostolus eos, qui fidem jactabant, & interim malè  
vivebant. His dictum illud opponitur: *si habuero omnem fidem,*  
*id est, si diu jacta vero fidem, quā & illam miraculis confirma-*  
*vero, Charitatem autem non habeam, certissimum indicium*  
*est, non adesse veram fidem, non quòd charitas informet fidem*  
*& eam ad iustificandam aptam reddat, quemadmodum vult*  
*Bellarminus; sed quia charitatis absentia ostendit itidem absen-*  
*tiam verę & salvificę fidei, quippe quę semper per charitatem*  
*efficax: Etiam si ergò habeam omnem fidem, videlicet quę se-*  
*juncta est aut esse potest à charitate, qualis est 1. fides historica:*  
*2. hypocritica aut 3. miraculorum, non tamen sum iustus co-*  
*ram Deo, aut electus. Si enim charitas absit, nihil sumus, quia*  
*est indicium, quòd non adsit vera fides. Non autem sequitur,*  
*Charitas adesse debet. Ergò etiam iustificat.* Nam adesse debet, non ut  
causa, sed ut fructus & effectus. Aliud est causa justificationis,  
aliud consequens necessarium. Sicut aliud est causa vitę, ali-  
ud



ud effectus consequens vitam. Ut motus qui in homine vel vi-  
vente quovis necessario inest, non ut causa vitæ, sed ut effectus  
sequens.

XIV. Ex 1. Cor. 13. v. ult. Ubi charitas vocatur *virtus maxima*, sic *De dicto 1.*  
argumentantur: *Maxima virtus maximè justificat. Charitas est maxi-* *Cor. 13. v. ult.*  
*ma virtus. Ergè maximè justificat.* Argumentum hoc Stapletonus in  
Antidotis vocat bonum & invictum. Sed respondeo 1. Utramq;  
præmissarum esse legalem, Justificatio autem non ex lege est, sed  
Evangelio Rom. 3. v. 21. Quare conclusio ista legalis nihil officit  
nostræ sententiæ. Fatemur enim, si quis perfectè Deum & pro-  
ximum diligit, hoc est universam legem integrè servet, eum  
justificari. Hæc autem perfectio in nullum cadit hominem,  
quare ex eâ dilectione justificari nemo potest. 2. Major falsa  
est, quia nec maxima, nec minima, nec intermedia virtus ut  
virtus justificat, sed ea tantum, quæ relatione quadam Christum  
ejusq; sacrosanctum meritum intuetur & amplectitur, qualis  
est sola fides Rom. 3. & 4 Gal. 2. & 3. non charitas, quippe quæ ju-  
stificationem sequitur, sicuti Christus testatur Luc. 7. v. 47. ubi af-  
firmat, eum, cui multa peccata remissa sunt, multum diligere. Et Bellar-  
minus concedit lib. 2. de justificat. c. 15. quòd Augustinus plurimis  
in locis doceat, opera justa esse effectus justificationis. Unde concludi-  
mus adversus Stapletonum, opera bona seu justa non justificare forma-  
liter, sed effecta esse justificationis: Contra Bellarminum, charitatem  
non justificare dispositivè, quia dispositio præcedit, charitas verò, ut  
& virtutes, atq; opera bona alia sequuntur justificationem. Ex-  
cipit Stapletonus, se loqui de habitu, non actu dilectionis: Cui re-  
spondeo, Pauli locum, qui probationis ergò adducitur, loqui  
de dilectione, tanquam opere, ut ex integro contextu patet. 3.  
Dilectio vocatur maxima, non ἀπλῶς κατὰ τι. Loquitur Apo-  
stolus de donis in Ecclesia Corinthiorum usitatis, inter quæ o-  
mnia dilectio eminent. 1. Quoad latitudinem, quia illa non so-  
lùm diligenti, sed etiam proximo diligentis prodest, & ad illum  
extenditur. 2. Quoad durationem: Reliqua tandem abolebun-  
tur & cessabunt, dilectio autem perpetuo mansura est. Nam &  
fides abolebitur, quatenus ea definitur *Sperandarum rerum ἰσώ-  
σις & invisibilium ἐλεγχῶς*. In vitâ enim æterna non amplius  
erunt res sperandæ & bona invisibilia. Et hæcenus duntaxat  
B 2 eharitas

Quo sensu di-  
lectio sit virtus  
maxima.



charitas major est, absolutè autem esse maximam, adeoq; ipsâ  
 fide simpliciter majorem, falsissimum est. Nam fides & basis &  
 mater & fundamentum dicitur omnium virtutum reliquarum,  
*fatente Concilio Tridentino & Bellarmino.* Causa autem suo effectu  
 semper nobilior est. Addo hunc præterea Syllogismum. *Quic-*  
*quid apprehendit Christum, & nobis applicat justitiam, & vin-*  
*cit mundum, adeoq; omnia potest, & est fundamentum & ra-*  
*dix omnium virtutum Christianorum, & sine quo fieri non po-*  
*test, ut quisquam placeat Deo, & æternam vitam consequatur;*  
*illud sine dubitatione longè maximum est & præstantissimum.*  
*Atqui fides apprehendit Christum Iohan. 1. v. 12, & nobis applicat*  
*justitiam Rom. 3. 4. Gal. 2. 3. & vincit mundum, 1. Iohan 5. v. 4, adeo-*  
*que omnia potest Marc. 9. v. 23. Estque fundamentum & radix*  
*omnium virtutum Christianarum etiam charitatis Ebr. 11. vers. 1.*  
*Gal. 5. v. 6, & æternam vitam consequatur Iohan. 3. v. 11. Marc. 16,*  
*v. 16. Ergò fides sine omni dubitatione virtus maxima, & præ-*  
*stantissima. Vociferatur Stapletonus, hoc pacto Paulum argui mens-*  
*dacij, quippe qui dilectionem majorem esse fide pronunciat.*  
*Sed committit elenchum à dicto secundum quid, ad dictum sim-*  
*pliciter. Res enim tota sic habet: Nam Dilectio est virtus ma-*  
*xima propter ædificationem Ecclesiæ, & utilitatem proximi, &*  
*perpetuam durationem. Fides est maxima propter Christum,*  
*quem in Evangelii promissione fidelis homo apprehendit, & in*  
*quo, & per quem accipit justitiam, & salutem æternam. Dilectio*  
*præstantiam habet maximam, sed tamen eam à fide accipit. Di-*  
*lectio est maxima respectu proximi, cui inservit & quem ædifi-*  
*cat: Fides est maxima respectu ejus quem apprehendit. Et sic*  
*ista non sunt opposita, sed simul queunt consistere. Quærimus*  
*aurem ex Pontificijs: Si charitas absolutè est maxima & maximè justi-*  
*ficat, qui sit, ut in Evangelicis concionibus semper requiratur fides, plerumq;*  
*sine aliquâ mentione charitatis? Hæc enim summa est Evangelii:*  
*Credite in Christum, vel qui credit in Christum, salvus erit. Et Paulus*  
*ex professo pertractans integram doctrinam justificationis, so-*  
*lius fidei meminit, & non tantum charitatem non nominat*  
*inter causas justificationis, sed etiam disertè excludit omnia o-*  
*pera legis. Ubi nihil proficiunt Pontificii, negando charitatem es-*  
*se opus legis. Annon enim totius legis summa est, Dilige DEVM*  
*& proximum, Matth. 22, v. 37. Rom. 13, v. 19.*

XV. Ad



XV. Ad Proverb. 10. v. 12. Respondemus, verba juxta for- De dicto Pro-  
tes ita sonare: *Odiū excitat contentiones, omnes verò defectiones obte-* verb. 10. v. 12.  
*git charitas.* Unde manifestum evadit, hic de justificatione  
non agi, sed potius charitatis officium, & indolem describi,  
quòd videlicet proximi vitia noverit, sed non oderit; non reve-  
let, sed obtegat & dissimulet, juxta præceptum Domini Levitici  
19. v. 7. Apparet hoc, præcedentibus verbis, *Odiū excitat con-*  
*tentiones*, hoc est, cum proximus proximum odit, cum alter alte-  
ri sua delicta exprobrat, unde oriuntur contentiones: Sed qui  
alterum diligit, ille pallio charitatis defectiones & errata *αἰ-*  
*θεώματα* contegit ac dissimulat. Opertio igitur delictorum  
duplex; UNA, quæ fit coram DEO, de hac in præsentī non  
est sermo: ALTERA, quæ fit coram homine, & tegit non  
peccata propria, sed proximi, & de hac præsens textus tantum-  
modò loquitur.

XVI. Ad 1. Iohan. 4. vers. 16. respondemus, quòd docetur De dicto I.  
ibi, non quomodo DEO inseramur & justificemur, sed qua- Ioh. 4. v. 14.  
les sint iustificati, seu quomodo nos iustificatos & DEO infi-  
tos esse cognoscatur, Conditiō personæ, non causa justitiæ in-  
nuitur: Nam charitas fraterna argumentum & indicium est, nos  
esse in DEO, & DEUM in nobis, juxta illud Johan. 15. vers. 5.  
*Qui manet in me, & ego in illo, fert fructum multum.* Dilectionem  
enim sinceram habere, & fidei opera edere nemo potest, nisi  
sit in ipso, ipsumque in se manentem habeat, Iohan. 15. vers. 15.  
Iohan. 6. v. 56. *Qui odit carnem meam, in me manet, & ego*  
*in illo.* Eadem responsio danda est ad illud Johan. 14. 1. Johan. 4.  
Rom. 13.

XVII. Ad Coloss. 3. v. 14. charitas dicitur *vinculum perfectio-* De dicto Co-  
*nis*, quia nexu charitatis Christiani simul omnes in unum quod- loss. 3. v. 14.  
dam integrum perfectumque corpus ceu vinculo quodam  
colligantur, quo vinculo rupto, excitatis dissensionibus, cor-  
pus illud non manet integrum, sed fit hiulcum, lacerum, mu-  
tilum atque mancum. Duplex igitur perfectio; Una *Ecclesiastica*  
*seu publica*, quæ consistit in verâ concordia & mutua societa-  
te, cujus vinculum est charitas. Altera *purè Theologica* seu priva-  
ta, quæ consistit in justitiâ verâ, quam non nisi fide obtinemus.



## Classis Quarta,

*Continens dicta, quibus pœnitentiæ contritioni & confessioni justificatio attribuitur.*

XIIX. Proferuntur hæc à Bellarmæ eb. Actor. 11. vers. 18. Ergo & gentibus pœnitentiam dedit DEVS ad vitam, 2. Corinth. 7. vers. 10. Quæ secundum DEVM tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Ezech. 18. vers. 27. Cùm averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit. His addi possent illa. Matth. 5. v. 3. Beati pauperes spiritu, beati qui lugent. 1. Johan. 1. v. 9. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra. Matth. 10. v. 32. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor illum coram Patre meo. Rom. 10. v. 10. Ore fit confessio ad salutem. Levit. 5. v. 5. Agat pœnitentiam pro peccato. 2. Paral. 7. v. 14. Si conversus populus meus, deprecatus fuerit, &c. 1. Reg. 21. v. 28. Nunquid vidisti, quòd humilis sit factus Achab coram me? Ezech. 33. vers. 14. 19. Cùm aversus fuerit impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & justitiam, propter ipsam vivet. Quod etiam dicitur Jerem. 8. v. 7.

*Pœnitentiæ duplex.*

XIX. Respondemus 1. GENERALITER, Pœnitentiæ in Scripturis duplex proponitur: Vera & Hypocritica. Veram definit ac circumscribit fides, Hypocriticam fidei absentia. Quocirca, quæ veræ pœnitentiæ tribuuntur in Scripturis, ea non respectu sui simpliciter, sed respectu fidei, tanquam partis principalis, secundum quid attribuuntur. Adde, quòd per Metonymiam Scripturis utriusque effectui tribuitur, quod causæ est. Denique temporalis contritio & pœnitentiæ, temporalem quidem pœnam potest avertere, vel intervertere, non autem æternam, quia ad hoc infinitum requiritur meritum, quale in nullo invenitur homine, sed in solo Θεωρωπώ Christo.

*De dicto 2. Cor. 7. v. 10.*

XX. 2. SPECIALITER, ad dicta, Actor. 11. vers. 18. Ezechiel. 18. vers. 27. Levit. 5. vers. 5. 2. Paral. 7. vers. 14. Ezech. 33. vers. 14. 19. Jerem. 8. vers. 7. Sufficiat data responsio, quòd pœnitentiæ propter fidem adscribarur reconciliatio & justificatio. Ad 2. Corinth. 7. v. 10. respondemus, non dici, quòd κατὰ τὸν Θεὸν λύπη mereatur vel pœnitentiam, vel salutem, sed quòd ex illâ oriatur vera pœni-



pœnitentia, quæ per fidem, partem ejus principalem, *σωτηρίαν ἀ-  
μεταμέλητον κατεργάζεται*. Et loquitur dictū de illo ordine, quē  
Deus sancivit, quōd videlicet nemo convertatur, nisi qui prius  
concepit dolorem de peccatis; sed hæc non sunt meritoria. Habent  
rationem medii non meriti, & dolor ille dicitur parere veram  
pœnitentiam, quatenus est via prima ad conversionem. *Matth. 5. v.  
3.* Luctus constituitur nota non causā beatitudinis. *1. Iohan. 1. v. 9.*  
confessio non tanquam totalis causa veniæ, sed duntaxat velut  
necessaria conditio, sine quā non fit remissio in adultis, in-  
troducitur. Vel dicendum, quōd per Confessionem intelliga-  
tur tota hominis pœnitentia. Ad *Matth. 10. v. 32.* respondemus,  
quōd confessio Dei non sit causa salutis, sed vel nota, vel ali-  
qualis conditio, sine qua nemini obtingit salus. Qui enim  
illum negaverit, negabitur ab illo, ubi abnegatio est quidem  
causa perditionis, sed non confessio est causa salvationis, quia  
dispar hęc est ratio operum bonorum & malorum. Ad *Rom. 10.  
v. 10.* Confessio ad salutem idem est, quod confessio salutis, un-  
de hic emergit sensus, *quōd fides non in solo lateat corde, sed foras etiam  
prorumpat & confessione salutari se exerat.* Salus ergo tribuitur con-  
fessionem, tanquam conditioni sine qua non. Quomodo autem  
probabit hinc Bellarminus, confessionem dispositivè justifica-  
re, cum illa sequatur fidem & justificationem, juxta dictum Da-  
vidis: *Credidi, propter quod locutus sum 3. Regum 21. v. 28.* temporari-  
am pœnitentiam Achabi voluit Deus temporali aliquo beneficio  
remunerare.

XXI. Ad hunc ordinem referri etiam possunt illa dicta,  
in quibus nostræ cum proximo reconciliationi, quæ pœniten-  
tiam antecedit, Remissio peccatorum, & sic justificatio ascribi-  
tur, qualia sunt *Luc. 6. v. 27. Remittetur vobis, Matth. 6. Si remisistis  
hominibus &c.* Sed hæc omnia non notant causam, sed tantum  
conditionem quandam ex ordinatione divinā necessariò præ-  
cedentem; Continent remotionem obstaculorum, non promo-  
tionem aut causationem ipsius justificationis. Illa n. si absunt,  
impedire possunt; sed si adsunt, non causant, sed duntaxat vi-  
am parant, id est, sunt conditiones, sine quibus non sequitur ef-  
fectus. Si enim nostra remissio, quā proximo condonamus  
offensa, est causa remissionis peccatorum apud Deum, aut erit  
meritoria,

De dicto Rom.  
10. v. 10.



meritoria, aut instrumentalis, aut formalis. Meritoria non est, quia solius Christi obedientia Deo nos reconciliat: Nec est instrumentalis quod patet: Nec est formalis, quia est opus bonum, opera autem bona non sunt forma, sed effectus justificationis, fectente Bellarmino lib. 2. c. 15. & 16.

## Clasis Quinta.

*Continens dicta, quibus propositio percipiendi Sacramenta & novae vitae justificatio adscribitur.*

XXII. Johan. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit introire in regnum caelorum, Johan. 20. v. 23. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, Actor. 2. & 38. Paenitentiam agite, & unusquisque vestrum baptizetur in remissionem peccatorum, Ezech. 18. v. 31. Projicite a vobis omnes iniquitates vestras; & facite vobis cor novum & Spiritum novum. Huc etiam referri potest, Tit. 3. v. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis.

XXIII. Respond. Desiderium reipsa percipiendi Sacramentum, simulque propositum novae vitae & obedientiae a justificatione excluduntur, non autem a justificato. Aliud enim est causa justificationis, & aliud conditio personae. Nec effectus cum causis, nec causae cum effectis confundendae sunt. Quod verò ipsa attinet Sacramenta, ea non excludimus a foro justificationis, sed includimus, tanquam ὄργανα δωροφειδύρα offerentia nobis gratiam, sine quibus etiam nemo justificatur. Quae verò consequentia est, Sacramenta sunt ad justificationem necessaria, in quantum sunt media: Ergo bona opera justificant? Neque particula exclusiva, cum sola fide justificari dicimur, opponenda est Sacramentis, vel gratiae Dei, vel merito Christi, sed potius nostris operibus, ut Apostolus luculenter innuit.

## Clasis Sexta.

*Continens dicta, quibus ex operibus justificari dicimur.*

Ad hoc probandum producent c. 2. epist. Jacobi, qui v. 14. dicit:



dicit: Qui proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum? v. 24. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, *ὅτι ἐκ πιστεως ἔργων* &c. Videte ut per bona opera firmam faciatis vocationem vestram 2. Petr. 1. v. 10.

XXIV. Respond. 1. Proprius locus doctrinae de justificatione hominis, est epistola ad Romanos & Galatas, Inde igitur peti debet ratio justificandi, & alia loca secundum istam sunt explicanda, Tertulliani enim dictum est: Oportet secundum plura intelligi pauciora, & ne unus sermo alia multa evertat, secundum omnia potius, quam adversus omnia accipiendus erit. 2. Duplex notanda est Homonymia, nempe in vocabulo fidei & in vocabulo justificationis, Utrumq; alio sensu à B. Paulo, & à Jacobo accipitur. Paulo fides est vera fiducia: Jacobo vel sola noticia articulorum, & professio fidei Christianae, vel hypocritica fidei justificantis jactantia, ut patet ex v. 14. Paulo justificatio idem est, quod à peccatis absolvi. Jacobo idem est, quod iustum declarari, ut patet ex v. 18. & 21. Ostende mihi fidem tuam. Nam & tunc aliquid fieri dicitur, Matth. 12. v. 37. Ex sermonibus tuis justificaberis. Adde Rom. 3. v. 4. & 20. 1. Tim. 1. v. 6. Sensus igitur Jacobi non est adeò obscurus vel intricatus. Dicit; fidem sine operibus esse mortuam, hoc est, talem intelligi: *sinem ex operibus perfici, h. e. perfectam, vivam veram & sinceram esse declarari, sicut arboris bonitas tunc perfecta esse intelligitur, cum fructus bonos magnâ copiâ profert: Abrahamum ex operibus justificatum esse, videlicet declarativè. Hominem justificari ex operibus & non ex fide tantum, h. e. Non satis esse ad indicandam veram justificationem, externam fidei professionem, sed requiri opera verè Christiana. Ex his enim solis maximè conspicuum & manifestum potest fieri iudicium de justificatione. Summa igitur propositionis Jacobae est, Nos nuda Dei notitiâ salutem non consequi, neque veram fidem esse, quae sit absq; operibus, neq; nos tali fide coram Deo justificari. Hoc probat 1. à simili v. 15. 16. 17. Non enim illum habere veram fidem, qui fratri indigenti non subvenit. 2. Quia illa externa fidei professio saepè reperitur in impiis & immisericordibus v. 15. 16. 3. Quia fides, si opera non habeat, mortua sit per se v. 17. id est mortua esse arguitur, v. 26. Nam causa, effectu deficiente perit. 4. Quia ex operibus fides ostenditur v. 18, & perficitur, id est, perfecta declaratur v. 22, Homines*

C

enim



enim nequeunt intueri corda, (quod solius Dei est, 1. Reg. 8. v. 39.)  
sed ex operibus judicant de fide. 5. Quia Diaboli etiam credunt  
& cohorrescunt v. 19. sæpè enim professus est Satan, Christum  
esse Filium Dei Matth. 8. v. 29. Marc. 1. v. 24. & c. 3. v. 11, & c. 5. v. 7. Luc. 4.  
v. 34. & 4. c. 14. Luc. 8. v. 28. Act. 19. v. 15. Costerus quidem in Enchi-  
rid. & alii negant, Diabolum habere fidem. Bellarminus autem  
lib. 5. c. 15. affirmat & Augustini testimonio probat. 6. Quia Abra-  
ham justificatus, id est, justus declaratus est ex operibus, v. 21. id  
quod ostenditur ex Scripturæ testimonio Gen. 22. v. 12. & 15. v. 6.  
Et tandem ita concludit Apostolus v. 24. Videtis igitur, quòd ex o-  
peribus justificetur homo, & non ex fide tantum; quasi dicat, si velis ha-  
beri pro homine verè Christiano & justo, non tantum externâ  
voce profiteris te baptizatum esse, & in Christum credere, (id  
enim impiis etiam commune esse potest,) sed opus est, ut hanc  
fidem tuam ostendas, exeras, declares, manifestam facias & pro-  
bes bonis operibus, tanquam certis effectis. Ut enim spiratio  
& motus (quæ duo per *πνεῦμα* intelliguntur) certissimum  
signum sunt vitæ corporalis, adeò ut sine his corpus sit mortu-  
um v. 26. hoc est, illis absentibus vitam abesse constet, sic bona  
opera sunt signa veræ fidei, adeoque sine illis fides est mortua,  
id est, falsa & ficta, esse deprehenditur. 7. Adducitur etiam ex-  
emplum Rachab, quæ & ipsa operibus suis ostendit & probavit,  
se longè aliam fidem habuisse, quàm mortuam: ideoque verâ  
& vivâ fide justificata est, Unde Hebr. 11. v. 31. dicitur: *Per fidem sus-  
cepit Rachab exploratores.* Hanc genuinam esse Jacobi senten-  
tiam, facilè demonstratur ex primario totius epistolæ scopo,  
ex integro contextu ex ipsa phrasi, ex applicatione singulo-  
rum argumentorum, ex citatis de Abrahamo & Rachab Scri-  
pturæ testimoniis, ex allatis exemplis, similitudinibus, & ana-  
logia fidei. Potest insuper addi testimonium quoddam Bel-  
larmini, qui lib. 2. de justis. c. 16. ubi respondet ad dictum 1. Iohan. 3.  
qui facit justitiam justus est, ita scribit: *Hoc testimonium non docet,  
quid faciat hominem formaliter justum, sed unde possit cognosci, an aliquis  
sic justus. Ille enim justus est, qui justitiam facit, sicut ille vivens est, qui  
moveretur, & illa est arbor bona; quæ fructus facit bonos, nec ideo vivit ali-  
quis, quia moveretur, sed contra, ideo moveretur, quia vivit; & ideo facit fru-  
ctus, quia est arbor bona; Sic igitur qui facit justitiam justus est, sed non ideo  
justus,*



*justus, quia facit justitiam, sed idēd justitiam facit, quia justus est.* Hanc sententiam applico ad presentem Jacobi locum, & lubenter concedo, bona opera justificare, hoc est, tanquam affectum ostendere, hominem esse justificatum, sicut motus arguit vitam, & fructus arborem.

XXV. Notari porrò decent contradictiones Pontificiorum. Plerique enim hinc confirmare satagunt suam de justificatione sententiam. Contrà disputat Bellarminus *lib. 2, 16.* hunc locum non esse intelligendum de formâ justificationis, quia statuit *cap. 15.* justitiam, quâ formaliter justificamur, habitualem esse, non actualem, & affert ibi triplicem responsionem de verbo justificandi. 1. *Justificari est mereri augmentum justitiæ.* 2. *Dare operam ut justificeris.* 3. *In divino judicio, justum judicari, & justitiæ coronam justè consequi.* Lib. 4. de Justif. c. 18. exponit hunc textum de justificatione secundâ, non primâ, quam etiam sententiam alij accipiunt Pontificij, qui propterea contradicunt iis, qui ex Jacobo primam operum justificationem probant.

*Contradictio Pontificiorum.*

XXVI. Vehementer autem sudat Jesuwita *lib. 4. c. 18.* Quomodo Mo- ut conciliet locum Gen. 15. v. 6. *Credidit Abraham DEO, & Paulum ses, Paulus & Rom. 4 v. 3. Gal. 3. v. 6. & Iacobum cap 2 v. 23.* Sed ejus interpretatio tam est contorta & coacta ut cuiusvis legenti statim suspecta reddatur. Vulgò dicunt, Paulum loqui de prima, Iacobum de secundâ justificatione. Est autem justificatio prima ipsis infusio charitatis, formaliter justificantis coram Deo: Secunda est præstatio operum justificantium coram Deo meritorie. Illam habitualem & formalem; Hanc actualem materialem: Illam gratuitam; Hanc vocant meritoriam. Verum hoc commentum. I. *Novum est,* nec in Scripturis nec apud Patres requiritur. Imò nec apud Lombardum qui *lib. 3. dist. 19.* significata quatuor affert, sed hujus distinctionis mentionem non facit. Neque apud Thomam nec Scorum facile reperietur. Excogitata igitur est ad depravandas Scripturas. II. *Falsum,* 1. quia una est justificatio sicut unus Deus *Rom. 3 v. 30.* 2. Vel prima perfecta est vel non, si perfecta, ergo secunda inutilis, nec necessaria. Si imperfecta, quomodo consistet in judicio Dei. 3. Confundant renovationem cum justificatione, effectum cum causâ. 4. Operibus debitis & imperfectis meritum assignant. 5. Fides in Scripturis non dicitur

*Quomodo Moses, Paulus & Iacobus conciliari possint.*

*Refutatur distinctio inter justificationem primam & secundam.*



disponere ad justificationem, sed justificare & ad justitiam imputari. 6. Deus justificat impios, Ergo in iis nullæ præcedunt dispositiones. 7. Scriptura justificationem non infusione, sed remissione peccatorum definit. III. *Impium*, 1. quia primam justificationem fingit inanem & nullam absque secundâ, & fidei nisi initium justitiæ dispositivum relinquit. 2. Quia fingit id, quod hominem reconciliat, esse habitum in homine, quæ est blasphemia in mortem Filii Dei, quâ solâ dicimur reconciliari Deo, *Rom. 5. v. 10.* 3. Quia secundam justificationem fingit meritoriam ex condigno.

XXVII. Remotâ igitur falsâ conciliatione, ita statuimus, quod Moses loquitur de verâ fide justificante, & de fidei justificatione, eodemque planè sensu à Paulo allegatur *Rom. 4. vers. 3. Gal. 3. v. 6.* Jacobus autem pro suâ sententiâ confirmandâ citat non simpliciter ipsa verba Mosis, sed complementum istorum, arguens à posteriori; *Impleta est scriptura*, inquit *v. 23. Credidit Abraham Deo &c.* quasi dicat, cum Isaacum esset Abraham oblaturus ex Dei mandato *Genes. 22.* tum ex illo tam præclaro opere paruit manifestissimè, verum esse quod *cap. 15. v. 6.* dixerat Moses: *Credidit Abraham Deo & imputatum est illi ad justitiam.* Atque sic etiam Angelus Jehovæ loquitur *cap. 12. vers. 12. Nunc cognovi quod timens Dei es.* Nam constat ex historiâ Mosis, & disputatione Paulinâ *Rom. 4.* justificatum fuisse Abrahamum per fidem, antequam offerret Isaacum. Quare absurdum est ita concludere: *Abraham justificatus est*, hoc est, justum se esse declaravit, *ex operibus*, cum obtulisset Isaacum filium suum. Ergo opera justificant, hoc est, justos efficiunt. Nam nec ipsi quidem Pontificii negabunt, Abrahamum fuisse per fidem justificatum *Gen. 15.* adeoque tum, *cum per fidem vocatus auscultaret Deo, ut abiret in locum quem accepturus erat pro hereditate;* *Ebr. 11. v. 8. Gen. 12. v. 4.* Historia verò immolationis Isaaci longè post secuta est vocationem Abrahami. Quomodo fieri potest, ut illo opere demum fuerit coram Deo justificatus, hoc est, justus reputatus? Nisi naturæ ordinem, & seriem ipsius sacræ historiæ invertas, & causam dicas effectum posteriorem aliter non potes respondere, quam justificandi verbum apud Jacobum accipi pro declaratione, ostensione, & manifestatione justitiæ. Locutiones verò illas quod at-

tinet.



rietur; cum Jacobus dicit, *fidem cooperari operibus & ex operibus perfici*, respondemus, Notare eas non perfectionem fidei formalem, quæ tota consistit in Christi Redemptoris apprehensione; sed referri tantum ad declarationem & manifestationem, ac si dicas, ex effectu perfici causam, quatenus per illum arguitur & ostenditur. Alioquin nemo eruditus negabit, quicquid est perfectionis in effectu, id totum esse ex causis. Fides autem est bonorum operum causa, fatentibus etiam Pontificiis. Quare cum cooperari dicitur operibus, non nisi ratione declarationis, hoc intelligendum est. Ut enim sola opera, quanquam speciosa, sine fide non arguunt Christianum, (nam & Ethnici sæpè insignibus virtutibus & factis ornantur,) nec sola fidei professio (quæ haut rarò reperitur in sceleratis & pervertis) sine bonis operibus Christianismum indicat; Ita si quis verbis profiteatur se Christianum, & operibus Christiano dignis illam professionem confirmet, de hoc pronunciat Jacobus, *fidem cooperari operibus*, in illo effectu declarationis.

XXIIX. Ad 2. Petr. 1. v. 10. *Studete vocationem vestram firmam reddere per bona opera* Respondemus 1. In græcis exemplaribus non legi *ἀλλὰ τῶν ἔργων*. 2. Ipsi concedimus, quòd hic sit fructus bonorum operum, ut nos confirmet de vocatione & electione nostrâ, videlicet quoad cognitionem à posteriori, sicut Christus dicit; *Ex fructibus agnoscitur arbor*. Aliud verò est de fundamento & causa vocationis atque electionis loqui. Suadet igitur Petrus, ut bonis operibus studeamus, sic enim magis magisque confirmabimur, quia per hoc manifesti sunt filii Dei & filii Diaboli, quòd quisquis non exercet justitiam, non est ex Deo, 1. 1oh. 3. v. 10.

XXIX. Possent ad hunc ordinem ista etiam dicta referri *Levitic. 18. v. 5. Faciens leges meas, vivet in eis. Deut. 6. Erit nobis justitia, si feterimus. Matth. 19. v. 17. Si vis vitam ingredi, serva mandata. Luc. 10. v. 15. Fac hoc & vives*. Sed respondemus 1. Dicta ista esse legalia, & concionari de perfectâ obedientiâ quæ nobis est impossibilis ut docetur *Rom. 8. v. 3. Gal. 3. v. 11 12. 13.* 2. Leges, judicia & mandata Dei, generatim accipi possunt, pro verbo Dei seu doctrinâ divinitus patefactâ, cui etiam Evngelium includitur. Sic igitur justitia est, facere præcepta Dei, h. e. agere pœnitentiam, &

C 3.

credere



credere Evangelio, vel agnoscere, quod ex lege Moſis non ſit juſticia, & querere atque invenire eam in ſolo Chriſto Mediatore unico.

## Clasſis Septima.

*Continens dicta, quibus miſericordiae & beneficentiae noſtrae juſtificatio attribuitur.*

XXX. Dicta potiffimum ſunt iſta Pſal. 41. v. 1. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, Pſal. 112. v. 5. Beatus qui miſeretur & mutuo dat, Proverb. 16. v. 5. Beneficentia & fide expiatur iniquitas. Eſa. 1. v. 17. Diſcite benefacere, judicate pupillum, querite juſtitiam: Si fuerint peccata veſtra, tanquam coccinum, velut nix dealbabitur. Dan. 4. v. 24. Redime peccata tua, juſtitia & eleemoſyna, & erit ſanatio delictorum tuorum. Tob. 4. v. 11. Eleemoſyna ab omni peccato & morte liberat. Eccleſiaſtici 3 v. 33. Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemoſyna expiat peccatum. Eccleſiaſtici 16. verſ. 15. Omnis miſericordia facit locum unicuique, ſecundum meritum operum ſuorum. Matth. 5. verſ. 7. Beati miſericordes. Matth. 25. v. 34. Venite benedicti Patris mei, eſurivi enim, &c. Luc. 11. verſ. 41. Date Eleemoſynam, & ecce omnia vobis erunt munda. Luc. 16. verſ. 9. Facite vobis amicos de Mammona injuſto, ut cum defeceritis, recipiant vos. Actor. 10. verſ. 4. Preces tuae & Eleemoſynae aſcenderunt in conſpectum Dei. 1. Timoth. 6. v. 17. His, qui divites ſunt in hoc ſeculo, denunciatione efferantur, ut alijs benefaciant, &c. Ebr. 13. v. 16. Beneficentiae & communicationis ne oblivifcimini, talibus enim hoſtijs promeretur Deus. 1. Timoth. 4. v. 8. Pietas promiſſionem habet. Jacob. 2. v. 13. Iudicium ſine miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiam. Hebr. 10. v. 35. Vincitis compaſſi eſtis, nolite itaque amittere confidentiam veſtram. Matth. 10. verſ. 41. Qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. Luc. 19. verſ. 8. Cum dixiſſet Zachaeus. Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, adjunxit Dominus. Hodie ſalus huic domui facta eſt. Prov. 19. verſ. 17. Foeneratur Domino, qui miſeretur pauperis. Prov. 28. verſ. 27. Qui dat pauperibus, nunquam egebit.*

XXXI. Reſp. 1. GENERALITER. Quaedam dicta loquuntur de Eleemoſynis, in quantum ſunt notae, non in quantum causa beatitudinis & aeternae felicitatis, qualia ſunt Pſal. 41. verſ. 1. 6. 112. v. 5. Matth. 5. v. 7. Quaedam loquuntur de temporali Eleemoſynarum



synarum retributione, qualia sunt Prov. 19. v. 17. Prov. 28 v. 27. Quod etiam pertinet Hieronymi sententia: Non memini me malâ morte legisse mortuum, qui misericordem duxerit vitam.

XXXII. 1. Resp. SPECIALITER, Prov. 16. v. 6. verba ita sonant: *Benignitate & veritate expiatur iniquitas*; Addit vero Tremellius, intelligi non benignitate hominis, sed Dei, sicut exponitur, v. 7 *Cum benevolentiam prosequitur Iehova vias alicujus, inimicos quoque ejus convertet ad pacem*, qui versus præcedentis sententiam exponit. Lutherus reddidit *Durch Güte und Treue wird Missethat versühnet*. Alii sic exponunt, quod exercendo misericordiam erga miseros, avertantur multæ pœnæ temporales, quas homines suis iniquitatibus sint promeriti. Si enim dictum quoddam impingit in articulum manifestum, tunc *ἀναλογία* quaerenda est, ut Scriptura tractetur secundum *ἀναλογίαν* fidei. Hæc autem capita firma sunt, certa & perspicua. 1. Redimere à peccatis, liberare à morte, mereri vitam æternam, esse officia solius Christi Mediatoris & Pontificis propria. 2. Hæc beneficia offerri per Evangelium. 3. Accipienda esse fide, non operibus. Alij respondent, notari non effectum, sed necessarium, coherens vel consequens Eleemosyna. Qui enim ex fidei anima Eleemosynam erogat, illius peccata expiata sunt. Res enim quando tum dicitur fieri, cum manifestatur & conspicua redditur. Sicut igitur Jacobus dicit, nos operibus justificari, id est, justificatos declarari, sic Eleemosynæ expiant peccata, id est, expiata esse ostendunt.

De dicto Prov.  
16. v. 6.

XXXIII. Ed Esai. 1. v. 17. respondemus, quod Dominus requirat integram pœnitentiam & conversionem, cujus partes sunt, contritio & fides; fructus, nova obedientia, inter quæ etiam Eleemosyna. Ad Dan. 4. v. 24. Litera impingit in analogiam fidei, solus enim Christus redemit nos à peccatis. Ergo quaerenda *ἀναλογία*. Tremellius arget Hebræum textum, qui habet *peccata tua justitiâ abrumpe*, hoc est, quia hætenus malè vixisti, subditos crudeliter tractasti; itcirco veram agas pœnitentiam, & videas ut justificeris, atque ita justitiâ peccatis finem facias. Lutherus reddidit: *Mache dich los von deinen Sünden durch gerechtigkeit / vñ ledig von deiner missethat durch wolthat an den Armen*. Nam in Hebræo est redime peccata tua *קָדַשׁ* in justitiâ.

De dicto Esai.  
1. v. 17.

De dicto Dan.  
4. v. 24.



justitia. Septuaginta malè reddiderunt Eleëmofynam. De-  
inde habetur vocabulum  $\text{רַחֲמִים}$ , quod significat pietatem, mise-  
ricordiam, affectum charitatis, à radice  $\text{רָחַם}$  sacrauit, unde  
 $\text{הַרְחִיבֵנּוּ}$  Ciconia. Sensus igitur est, *Veram age pœnitentiam ob com-*  
*missa peccata, eaq; expia misericordia, id est, ostende expiata esse.*  
Quia enim maximum tuum peccatum fuit crudelitas & inhumana-  
ritas: Quare, si vis coram hominibus justificari, hoc est, te ve-  
ram egisse pœnitentiam ostendere, esto liberalis & beneficus er-  
ga afflictos. Nihil proinde aliud hîc suadet Daniel, quàm veram  
pœnitentiam, quâ acquiritur justitia; & pœnitentiæ fructum  
videlicet novam obedientiam. Brentius talem urget  $\alpha\nu\alpha\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\nu$ :  
Quia Eleemosyna non est meritum remissionis & vitæ æternæ,  
nec est organum applicationis, sed fructus pœnitentiæ, igitur  
dicitur redimere à morte, & liberare à peccato  $\sigma\eta\mu\alpha\nu\tau\iota\kappa\omega\varsigma$  vel  
 $\mu\epsilon\tau\omega\nu\iota\mu\iota\kappa\omega\varsigma$ , quia testificatur de fide, de remissione peccato-  
rum, tanquam fructus de bonitate arboris. Alij interpretantur de  
mitigatione vel ablatione temporalium pœnarum, quæ interpretatio à  
textu etiam non est aliena. Quod enim in vulgari versione di-  
citur, *Ecce erit sanatio peccatorum tuorum*, id secundum fontes He-  
bræos sic habet: *Ecce erit prolongatio paci tue*, unde apparet, Danie-  
lem de ablatione pœnarum temporalium locutum fuisse. Mina-  
tus enim fuerat Dominus Nebucadnezari depulsionem ex re-  
gno: Hanc pœnam si sublaturum velit, suadet Propheta Daniel,  
ut justitiæ & misericordiæ studeat, Bonis enim operibus calami-  
tas temporalis sæpè potest averti. Quo sensu dicitur Psal. 41. v. 1.  
*Beatus qui beneficus est pauperi, in die malâ liberabit eum Dominus.* Licet  
autem textus habeat, *redime peccatum tuum*, tamen in Scripturis  
familiaris est, ut peccatum pro pœnâ peccati dicatur, ut Levit. 20.  
v. 19. Num. 9. v. 13. Sensus igitur est: *Si corporalem istam peccati pœnam*  
*vis à te amoliri, beneficentiæ, & misericordiæ studeas.* Alij talem efferunt  
explicationem, quòd Eleëmofyna & alia bona opera dicantur  
liberare à peccatis, sed intelligenda esse peccata non præterita,  
sed futura. Cùm enim bona opera exercentur, tum mala ca-  
ventur, & Deus pios sanctosque homines conservat, ne in tragi-  
ca peccata incidant. Hinc est, quòd nonnulli dicunt, non tam  
intelligi à Daniele peccatorum redemptionem, quàm cessatio-  
nem à peccatis, quasi dicat, *cessa à peccatis, seu libera te à peccatis, au-*  
*fer*



fer peccata tua per iustitiam & Eleemosynas, desine peccare & exercere iustitiam atq; misericordiam, hoc est, poenitentiam age & fidem declara bonis operibus, tanquam fructibus. Nam verbum פָּרַדַּת quo hic utitur Daniel, Chaldaeis proprie significat abrumpere, & auferre.

XXXIV. Ad Tob. 4. vers. 11. & 6. 12. v. 9. Præterquam quod *De dicto Tob.* liber sit Apocryphus, hoc addimus, literam esse contra ἀναλογία 4. v. 11. fidei, cum solus Christus purget peccata, & vitam acquisiverit nobis æternam. Quare iterum quaerenda est ἀναλογία. Ergo ita potest hic locus exponi, quod Eleemosyna liberet ab omni peccato, id est peccati poenâ temporali, à morte videlicet immaturâ. Deus enim piis longævam promisit vitam, & non patietur animam ire in tenebras, & videlicet calamitatum temporalium. Sæpè enim tenebris significantur omnis generis calamitates. 2. Sam. 22. v. 12. Michea 7. Psal. 112. v. 4. Mortis etiam vocabulum sæpè notat vitæ præsentis pericula, ut 2. Cor. 11. v. 23. Vei dici potest, quod Eleemosyna purget peccata μετῶνυμικῶς, id est, purgata esse ostendat, sicuti Jacobus dicit, opera justificare, id est, justificationem indicare. Priorem explicationem, quod videlicet hæc dicta non nisi de aversione poenarum temporalium intelligenda sint, urget Osiander & Tremellius: posteriorem Hunnius: utramque alij. Eadem responsio datur ad Eccl. 3. v. 33. Bellar. l. 3. de bon. oper. in partic. c. 3. ita exponit, quod Eleemosynæ dicantur à peccato liberare. 1. dispositivè, dum gratiam justificationis, quâ culpa tollitur, impetrant. 2. Effectivè, dum pro poena temporali satisfaciunt. Hæc posterior interpretatio si meritum tollatur, tolerari potest, ista verò non potest.

XXXV. Ad Eccles. 16. v. 14. dicimus, quod sit vitium in vulgata versione. Secundum textum Græcum ita sonat: *De dicto Eccl.* *Omni miseri.* 16. v. 14. *cordi beneficentiæ dæ locum, nam quisq; secundum opera sua inventurus est:* πᾶσι ἐλεημοσύνη ποιήσῃ τόπον ἑαυτοῦ κατὰ τὰ ἔργα ἑαυτοῦ εὐρησῃ. Lutherus reddidit. Alle Wohlthat wird ihre stäte finden / vnd einem jeglichen wird widerfahren wie er verdienet hat. Hinc verò patrociniij nihil accedit Pontificiis.

XXXVI. Ad Matth. 25. v. 34. & 35. respondet D. Hunnius, *De dicto Mat.* p. m. quod ex hoc ipso loco tria possint argumenta formari, quibus probetur vitam æternam gratuitam esse, 1. Quia nominantur



nantur benedicti, benedictione videlicet spiritali, quæ fide non operibus apprehenditur, Gal. 3. v. 8. 2. Quia dicitur κληρονομήσειτε hereditate. Hereditas autem nemini obtingit ex merito, sed ex gratiâ. Erasmus enim filii iræ naturâ. 3. Quia regnum illud ab initio paratum esse dicitur. Ergo non possumus promereri operibus. Particula igitur ὅτι non est causalis, sed ratiocinativa, & argumentatur Christus ab effectu ad causam. Quia enim fides occulta est, ideò fidei fructus producit, quibus pii abundè fidem suam, cœlestis hæreditatis accipiendæ ὄργανον testatam reddiderunt. Summa hæc est: Pronuncio istos æterni regni heredes. Vis probationem? Qui cum esurirem, paverunt me, & fidei suæ veritatem, his testibus ad oculum comprobant. Hinc ergo constat Particulam ὅτι non efficientiæ, sed ordinis & consequentiæ notam existere; nec doceri, quibus causis regnum acquiratur, sed quibus signis regni ejus hæredes cognoscantur.

De dicto Rom.  
2. v. 6.

XXXVII. Eadem responsio datur ad istud dictum Rom. 2. v. 6. Reddit Deus unicuique, secundum opera ipsius, ijs quidem qui perstant, boni operis gloriam. Non enim dicit Apostolus, nobis reddendam esse gloriam, propter opera, tanquam merita, sed secundum opera, videlicet tanquam fructus fidei & testimonia, quibus manifestò declaratur, nos verâ fide præditos esse: Non autem secundum fidem, sed secundum opera dicitur iudicaturus Dominus, quia opera sunt manifesta, fides autem occulta.

De dicto Luc.  
11. v. 41.

XXXVIII. Ad Luc. 11. v. 41. respondent nonnulli, quòd ironia sit, quâ Christus Phariseorum hypocrisin taxet, putantium, sibi nihil obesse peccata, etiam gravissima; modo Eleemosynas in pauperes comulatè erogent, Bellarm. lib. 3. de bonis operibus, part. 3. quatuor istius dicti expositiones recenset. 1. Est eorum, qui, ut diximus ironicè hanc textum esse intelligendum autumant, vel ὁτι pro datis exponunt, ut sit sensus, vos datis Eleemosynam, & putatis ita vobis omnia esse munda. 2. Est Augustini, qui eleemosynam latè extendit, eamque etiam intelligit, quâ quis animæ suæ eleemosynam faciat, eam purgandò à vitiis, per conversionem & pœnitentiam, in Enchirid. c. 76. 3. Est Basilii, qui non omnia peccata, sed ea duntaxat intelligit, quæ nascuntur ex avaritiâ, ut furta, rapinæ; hæc enim locum non habent, ubi largæ dantur eleemosynæ. 4. Est Theophylacti, quam



quam Bellarminus approbat. Laborabant Pharisei avaritiâ: hanc Dominus volebat evulsam; ideò commendat ipsis eleemosynam. Sicut enim Medicus, videns causam morbi in ægroto esse repletionem, dicere potest, *Adhibe inediam, & integrè convalesces*, quia videlicet, radice principali morbi sublatâ, cæteri morbi facillè tolli possunt: Sic Dominus etiam dicit Phariseis, *Date, &c.* quoniam cum radix omnium malorum avaritia esset, si ea per virtutem contrariam eversa fuisset, facillè illi ad fidem & pœnitentiam pervenissent. Hoc Bellarmini explicatio notetur & aliis Pontificiis opponatur: Sic enim nihil ex hoc loco concludi poterit pro justificatione operum. Alij sic exponunt, quòd Dominus Phariseos instruat, quænam sint veræ & Deo placentes eleemosynæ, nimirum illæ, quæ dentur de iis, quæ adsunt, hoc est, de bonis legitimè partis, non autem de iis, quæ scelere & rapinâ sunt corrasa. *Philippus* respondet, esse fallaciam divisionis. Nam CHRISTUS reprehendens Phariseorum superstitionem in externa lotione poculorum, patinarum &c. opponis eis duplicem munditiam, internam & externam, monens cor intus purgandum, & foris proximo ex charitate subserviendum esse. De interna loquitur dicens: *Quod intra vos est, plenum est rapinâ*: De externâ sermonem facit, mox subjiciens: *Imò ea, quæ adsunt, date, & ecce omnia erunt vobis munda*, quasi dicat, tunc omnia erunt munda internè & externè, si intus vos purgaveritis, id est, credideritis & foris eleemosynam dederitis. Nam fide purificantur corda, *Actor. 15. v. 9.* Adversarii autem particulam illam universalem, *Omnia vobis erunt munda*, sophisticè restringunt ad externum munditiei genus tantùm, quod non erat faciendum. Tandem nonnulli stant, hic nō significari causam internæ munditiei, sed declarationem, ut sit sensus: *Date eleemosynam, & omnia vobis erunt munda*, hoc est, tum apparebit, vos undiquaque mundos esse. Nam ex illis operibus charitatis, non autem ex lotionibus externis, de fide & internâ munditie judicari potest. Atque hæc posteriores duæ interpretationes videntur omnium optimæ & appositissimæ.

XXXIX. Ad *Luc. 16. v. 9.* respondemus, quòd duo veniant De dicto *Luc.* explicanda, 1. Quid sit Mammon iniquitatis. 2. Quomodo amici 16. v. 9.  
D 2 nos



nos recipiant in æterna tabernacula? Per Mammona iniquitatis intelliguntur *divitiæ*, quæ sic dicuntur, quia sæpè injustè & iniquè acquiruntur, & quia maxima hominum pars divitiis ad injustitiam, luxum & superbiam abutitur. Amici nostri, hoc est, pii & sancti homines recipiunt nos ad societatem vitæ æternæ, non ut authores & datores ejusdem ( hoc enim contra omnem Scripturam ) sed ut testes operum nostrorum, imprimis verò beneficentiæ, à nobis in hoc sæculo adhibitæ. Nos ergò recipiunt, dum testimonium fidei probent, ut ita per fidem hæredes regni reddamur. Addunt alii, quòd egeni suos benefactores in æterna tabernacula dicantur recipere hoc etiam modo, quia illos Deo piis precibus assiduè commendant, & precantur, ut illorum clementer misereri, & cùm ex hoc sæculo migrandum fuerit, recipere eos dignetur in regnum cœlestè.

XL. Ad *Actor. 10. v. 4.* dicimus, non doceri ibi, preces & eleemosynas Cornelii promeruisse gratiam Dei, sed significari tantùm, preces illas & eleemosynas Deo placuisse ita, ut plenior Christi notitiam daret Cornelio, *Hebr. 13. v. 16.* In Græco legitur *εὐαγγελίταις ἰσθός*, quæ vox non significat promereri aut promerendo placari, sed gratum fieri. Sensus est: *Talibus hostijs tanquam fidei fructibus, gratum fieri Deo officium; vel talibus hostijs oblectari DEVM; vel tales hostias placere & acceptas esse Deo.* Ad reliqua, quæ supersunt, dicta, facilis est responsio, ut diutiùs immorari non sit necesse.

## Classis octava,

*Continens dicta, in quibus vita æterna vocatur merces seu premium bonorum operum?*

XL I. Dicta hæc allegant Pontificii *Genes. 15. v. 1.* Ego protector tuus sum, & merces magna nimis. *Jerem. 31. v. 16.* Prohibe vocem tuam à fletu, quia merces est operi tuo. *Matth. 5. v. 7.* Merces vestra copiosa erit in cœlo. *Matth. 10. vers. 42.* & c. *19. v. 29.* & c. *20. vers. 8. 9. 1.* *Corinth. 3. v. 8. 14.* Unusquisq; suam mercedem accipiet secundum laborem suum. *1. Cor. 9. v. 17.* Si volens faciam, mercedem habeo. *Coloss. 3. v. 24. 2. Tim. 4. v. 7.* Reposita est mihi corona justitiæ. *2. Joh. 1. v. 8.* Ne perdamus, quæ operati sumus, sed ut mercedem plenam recipiamus. *Apoc. 11. v. 18.*



v. 18. *Des primum &c. Et c. 22. v. 12. Venio cito & merces mea mecum est.*

Dicta hæc citat Bell, lib. 5. de justit. c. 2.

XLII. Resp. Est æquivocatio in vocabulo mercedis. Duplex Merces dicitur enim merces est, ut patet ex Rom. 4. v. 4. & c. 11. v. 6. I. Merces *debita*, quæ opponitur gratuito, & notat premium debitum, seu compensationem officii aut laboris debitam. De hoc genere mercedis loquitur Apostolus Rom. 4. v. 4. *Ei qui operatur, merces datur ex debito.* Talis merces & compensatio est in contractibus humanis. II. Merces *indebita*, quæ opponitur inani, frustraneo & vano, quod nulla insequitur utilitas, notatque non debitum, sed gratuitum officii aut laboris aliàs debiti præmium. Sæpe enim in Scripturâ merces significat fructum, qui sequitur, etiam indebitum, ut Proverb. 23. vers. 18. *quia est merces seu finis*; In Hebræo est *מַשְׁכָּל*, Vetus interpres reddidit, *babebis operi in novissimo & præstatio tua non auferetur.* Sic Jeremiæ 31. v. 17. *Est quoque spes novissimo tuo*, quod v. 16. his verbis enunciatur, *quia est merces operi tuo.* Ita si parens filio aliquid promittat, quod diligentior sit in studiis, & dicat, *Si hoc edidiceris, vel istud præstare potueris, hæc erit merces tua*; non nisi gratuitum præmium notatur, quia diligentia in studiis aliàs est debita. De hac mercede dicitur Roman. 4. vers. 5. *Ei, qui non operatur, imputatur merces secundum gratiam.* Atque hanc distinctionem mercedes indicavit. Ambrosius lib. 1. epist. 1. ubi inquit: *Alia est merces liberalitatis & gratia: Aliud virtutis stipendium est, & laboris remuneratio.* Prior merces *legalis* est, posterior *Evangelica*. Prior meritum operum includit, posterior excludit. Non igitur universale est axioma istud Pontificium? *Vbi merces, ibi meritum, sed de mercede duntaxat debitâ verum est.*

XLIII. Quando autem vita æterna dicitur merces operum nostrorum (quanquam phrasis hæc nunquam in Scripturis reperitur) tum nequit merces debita intelligi cum Pontificiis. *Bonorum operum merces nequit esse debita.* 1. Ob carentiam proportionis inter nostra opera, (quæ sunt finita & imperfecta) atque inter vitam æternam, quæ est bonum infinitum & summè perfectum. 2. Quia aliàs debemus Deo plus, quam præstare possumus. Debitis autem officiis nemo potest aliquid promereri. 3. Vita æterna alibi vocatur donum Dei, Rom. 6. v. 23. Si donum, certè merces debita non est, & si ex gratiâ datur, utique non ex operibus, Rom. 11. v. 6. Significatur igitur, non deberi.



deberi nobis propter officia nostra, sed tanquam filiis & hæredibus dari. 2. Bona opera non sunt nostra, sed sunt dona Dei, 1. Corinib. 4. v. 7. quæ si coronat DEUS. non merita nostra, sed dona sua coronat, juxta illud Augustini: Nil DEVS in nobis præter sua dona coronat. Et Bernardus dicit: Omnia merita nostra esse dona DEI, ita ut homo propter ipsa magis debitor sit DEO, quam DEVS homini. 5. Paulus disertè à Justificatione & salvatione nostra excludit opera, seu merita, Rom. 4. v. 5. & Tit. 3. v. 5. Non ex operibus justis, quæ feceramus nos, sed ex sua misericordia servavit. Ubi hinc est relatio Pontificia inter mercedem & meritum sive opera? Positâ mercede, inquit Bellarminus, necessariò etiam ponuntur opera seu merita. At Paulus disertè opera removet & tollit, Non operanti, sed credenti, inquit, fides imputatur ad justitiam. 6. σὺν ἔργῳ nonnunquam accipiuntur merces & gratia atque hæreditas, Psal. 127. v. 3. Ecce hæreditas Iehovæ fidei merces fructus ventris; Et quod Matth. 6. vers. 1. dicitur μισθός, id Luc. 6. vers. 32. nominatur χάρις. Conclusio igitur hoc Syllogismo: Si vita æterna merces dicenda est, illud ita fieri oportet, ut verè etiam dicatur & sit donum DEI gratuitum. Atqui hoc fieri nequit, si mercedem exponas de compensatione, debita operibus, secundum adequatam proportionem, Sic enim implicaretur contradictio, cum merces debita opposita sit dono gratuito. Quare cum vita æterna merces dicitur, non nisi indebita merces intelligitur.

Causa cur vita æterna non nuncietur merces.

XLIV. Causæ autem, ob quas gratuitum vitæ æternæ donum nonnunquam merces in Scripturis dicatur, hæ sunt, 1. Propter consecutionem. Sicut enim omne præmium, quod laborem aliquem consequitur, etiamsi sit indebitum, merces vocatur, ut Genes. 15. vers. 1. Psal. 127. vers. 3. Ita vitæ æternæ, qui consequitur nostra opera, tanquam fructus aliquis & utilitas, non incommodè merces nuncupatur. Sic enim Christiani excitantur ad studia bonorum operum, dum sciunt, se non frustra laborare, sed sibi, etiamsi ex gratiâ, magnam esse paratam utilitatem. Sic hæreditas datur filio, non propter officia sua (aliàs servi, quia plus laborant, plus hæreditare deberent,) sed ob filiationem juxta illud; Nato filio, nata portio: & tamen



men simul in compensationem obedientiae, gratuitam tamen: Pari modo cum salute nostra comparatum est, unde Coloss. 3. vers. 24. *merces hereditatis* appellatur, ad indicandum, mercedem esse non debitam, sed indebitam & gratuitam; Quae enim hereditario ad nos deveniunt, illa non propter opera nobis assignantur.

**XLV. II. Propter promissionem.** Quoniam enim Deus promittit, se bene operantibus vitam aeternam daturum, hinc quasi debitum est, (Omne enim promissum cadit in debitum) quod tamen non tollit gratuitum, nec extruit meritum operum, sed potius destruit. Si enim propter promissionem vita nobis datur, utique non propter bona opera dabitur. Debet igitur **DEUS** vitam aeternam, non ratione debiti nostri, sed ratione promissionis suae, unde Augustinus eleganter dixit: *DEVS debitor noster est, non ex commissio sed ex promisso.* Et in Psalmo 32. ait: *Fidelis Dominus, qui se nobis fecit debitorem, non aliquid à nobis accipiendo, sed omnia promittendo.* Et serm. 31. in Lucam. *Non debendo, sed promittendo DEVS se fecit debitorem.* Quod ipsum adeo verum est, ut hoc fateri coactus fuerit Stapletonus, qui in Antidot. Evang. super Matth. c. 5. pag. 45. ita scribit: *Est quidem promissio DEI gratuita, promissione autem semel facta, retributio non est gratuita, sed debita, non quia DEVS nobis aliquid debet, sed quia ejus, quod gratuito promissit, debitor factus est, & se ipsum negare non potest.* Ex quibus verbis aperte sequitur, falsum scripsisse Bellarminum lib. 5. de justificat. cap. 3. dum inquit, *Scripturam disertis verbis dicere, hanc mercedem dari operibus, non soli promissioni.* Contradictionem illa habent manifestam: *DEVM nobis nihil debere, ut verè scribit Stapletonus: Et DEVM dare mercedem debitam operibus nostris, quod affirmat Bellarminus.*

**XLVI.** Sub finem responsionis hujus illud noteretur, quod *Distinguenda accurratè distinguenda sit ipsa vita aeterna, à premijs in vitâ aeternâ. dum est inter De premijs quidem verum est, ornari iis & coronari bona pio- vitam aeter- rum opera, sed tamen ex gratiâ, etiamsi non inficiemur, gra- nam, & gra- dus istos gloriae in vitâ aeternâ habere aliquem respectum ad dus gloriae, opera sanctorum. Ideo libenter usurpamus istas Scripturae phra- ses, Merces erit in caelo, Matth. 5. v. 12, non dicitur, Caelum erit merces*



*merces.* Sic Math. 19, v. 21. Vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo. Luc. 14. vers. 13. Retribuetur tibi in resurrectione justorum. In his & similibus dictis continentur descriptio præmiorum sive compensationis, sed talis, quæ semper ante se requirit ipsam vitæ æternæ possessionem. Unde ex illis rectè ostenditur, fore compensationem bonorum operum in vitâ æternâ, nempe gratuitam, cujus fundamentum est promissio gratuita divina, non autem inde sequitur, ipsam vitam æternam esse mercedem propriè sic dictam ut Pontificii continentur.

De dicto 2,  
Tim. 4. v. 7. 8.

XLVII. Ad dictum Pauli 2. Tim. 4. v. 7. 8. in specie respondemus, quòd vita æterna vocetur corona, quia datur certanti & vincenti, 2. Tim. 2. v. 5. Corona justitiæ dicitur, (non nostrorum operum, ut Pontificii exponunt contra manifesta dicta, Psal. 143. v. 2. Rom. 3. v. 20. 1. Cor. 4. v. 4. Tit. 3. v. 5.) & quidem justitiæ Dei. Rom. 3. v. 25. 2. Corinth. 5. v. ult. Philip. 3. v. 9 tum quia Christus nobis eam acquisivit, 1. Corinth. 1. v. 30. 2. Cor. 5. v. ult. tum, quia illud, quod Deus gratis promittit, pro suâ justitiâ servat, Hebr. 6. v. 10. Et vocatur Deus hic *justus iudex*, non Legaliter, sed Evangelicè, sicut iudicium Dei, quo gentes salvat, justum dicitur. Potest etiam justus exponi, pro fideli & veraci. Vel, DEUS, ut justus iudex, justè nobis reddet, quod reddet; non quòd nobis quicquam debeat, sed quia promissit; & quia veritas, quæ est pars justitiæ ejus, postulat, ut id, quod etiam ultrò & gratis promissit, præstet. Justus igitur Deus est, quia solvit, non quòd nostris operibus debet, sed quòd promissit, & ideò solvit, quia promissit, & quia nostris operibus ignoscit, imò quia non opera nostra, sed suam in eis intuetur gratiam. Huc etiam referri potest locus Apoc. 4. v. 10. ubi viginti quatuor seniores abjiciunt coronas suas ante thronum, dicentes: *Dignus es Domine, qui accipias gloriam.* Hoc ipso facto ostendentes, se non suo merito, sed gratiâ agni, hoc est, Christi Domini coronas istas obtinere.

Classis



## Classis nona,

*Continens dicta, quae Bellarminus pro justitiâ  
inhærente allegavit lib. 2. de justifi-  
ficat. c. 3.*

XLVIII. Primum sumit ex Rom. 5. ubi collatio instituitur inter Adamum & Christum. Ex hoc loco habemus, inquit Bellarminus, justificari per Christum, non esse haberi aut pronuciari justos, sed verè fieri atq; constitui justos, per adoptionem inhærentis justitiæ; quod probat, tum ex illis verbis, *justi constituentur multi*, tum ex oppositione Christi & Adami; Sicut enim per Adamum inhærenter sumus injusti, ita per Christum inhærenter justii.

Resp. ad 1. Quod nihil sit nisi mera petitio principii. Latissimè enim patet vocis constituendi usus. Potest aliquis fieri & constitui justus, vel per justitiæ infusionem, vel per imputationem, vel per declarationem. Nihil igitur firmiter ex eâ voce concludi potest: Bellarminus ipse Coloss. 10. v. 4. lit. D. concedit, quod aliquis fieri possit justus tum intrinsecus per adeptionem justitiæ, tum extrinsecus per declarationem. Quomodo ergò ex voce, *fieri vel constitui*, justitiæ infusionem probare potest, cum utramque ipso fatente, nimirum imputativam & infusionem quandoque significet?

*De collatione  
Christi & A-  
dami Rom. 5.*

Ad 2. Respondemus, quod comparatio ista non sic latius extendenda, quàm extendi voluit Apostolus. Vult hîc monstrare fortem & amplitudinem utriusque extremi, justitiæ & injustitiæ, quarum hæc ab Adamo, illa à Christo originem trahit. Conferre igitur rem cum re, non autem modum cum modo. Et loquitur Apostolus de acquisitione, non autem de applicatione justitiæ; aliàs *πῶς πάντες* & *ὅσοι* non convenirent. Sive enim per vocem *multi* intelligas omnes, sive paucos, semper absurdus es. Si *omnes*, *ὅσοι* est falsa, non enim omnes acti sunt justii: Si *paucos*, *πῶς πάντες* est falsa, non enim pauci sunt peccatores. Ergò, si has absurditates evitare voluerimus, dicendum,

E

endum.



endum, quòd hæc conferantur duntaxat ratione *amplitudinis*, sic  
ut doceat Paulus, quemadmodum lapsus omnes peccatis invol-  
vit, sic & Christi justitiam posse omnes ex iisdem evolvere; sicut  
ille efficax fuit ad condemnationem, sic hanc efficacem esse ad  
salvationem. Latiùs hæc comparatio Apostolica extendi nec  
potest, nec debet, aliàs multa sequerentur absurda, videlicet  
1. Sicut omnes naturaliter sunt & nascuntur peccatores, ita  
omnes verè & inhærenter justos esse. 2. Sicut per carnalem ge-  
nerationem injustitia in nos derivatur, ita & justitiam per carna-  
lem generationem in nos propagari. Adde, quòd inobedientia  
illa actualis Adami, per quæ omnes sumus constituti peccato-  
res, nobis non inhæreat, sed duntaxat imputata sit. Ergò dato,  
quòd & modus conferatur, non tamen hinc stabilietur justitia  
infusa, sed potiùs imputata. Sicut enim actualis Adæ inobedien-  
tia nostra est, non per inhætionem, sed imputationem duntaxat,  
fatentibus hoc ipsis etiam Pontificiis: Ita justitia Christi, quæ  
nos justi sumus, nostra sit non per infusionem aut inhætionem,  
sed per veram & realem imputationem. Deniq; concedere pos-  
sumus, justitiam inhærentem perfectam esse reparatam per Chri-  
stum, sed illa nobis in hac vita non infunditur, verùm in futura  
expectatur.

XLIX. *Secundum* petit ex c. 3. Rom. *justificati gratis, per gratiam  
ipsius.* Quo in loco putat per gratiam notari justitiam infusam,  
gratum facientem. Sed hunc errorem decad. 2. disp. 1. satis re-  
futavimus. *Tertium* est ex 1. Cor. 6. v. 11. *Et hæc quidem fuistis, sed ab-  
luti estis.* Quod dictum disp. 4. hujus decadis explicuimus.

L. *Quartum* ex Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regeneratio-  
nis & renovationis.* Unde concludit Bellarminus, *justificationem con-  
sistere in regeneratione & renovatione.* Atqui Paulus iis verbis non  
partes justificationis, sed duplicem Baptismi effectum descri-  
bit. Libenter autem concedimus, quòd renovatio aliquam  
importat mutationem; quòd autem formaliter in hac consistat  
nostra justificatio, illud ex hoc loco probari nequit. Aliundè  
verò discimus, quòd justificatio sit remissio peccatorum, cujus  
effectus vel consequens sit renovatio, cum variis bonis operi-  
bus.

si. Quin-



L I. Quintum ex Hebr. ii. ubi Abel, Noah & alij dicuntur justii, quod de inherente justitiâ accipiendum esse cenlet. Allegat etiam, illud Gen. 6. v. 9. ubi Noah dicitur vir justus & perfectus. Et Luc. i. v. 6. ubi Zacharias & Elisabetha dicuntur justii, ambulantes in omnibus mandatis & justificationibus Domini.

Resp. 1. Bellarminus hinc non potest aliquod causæ suæ petere patrocinium, cum opera justa, de quibus in allegatis dictis sermo est, non sint forma, sed effecta justorum hominum, quod infra probat ipse cap. 15. & 16. Impertinenter igitur ab ipso ad probandum formale Justificationis allegantur. 2. Justitia duplex est, imputativa & inherens; utriusque dicimur justii, verè quidem, sed variè, illa relativè & perfectè coram Deo; hac inchoatè, subjectivè & imperfectè. Dux hæ species justitiæ non sunt confundendæ, sed accurratè distinguendæ. 3. Locum de Abele mutilatè citat Bellarminus. Sic enim ait Apostolus: Abel per fidem majoris præcij sacrificium obtulit, quàm Cain, per quam testimonium obtinuit, quòd esset justus. Ubi manifestum est fidem statui causam, tum pretiositatis sacrificii Abelis, tum etiam justitiæ ipsius. Quare pater sermonem hic esse de justitia fidei, quod ipsum magis liquet ex altero testimonio, nempe quòd Noah justitia, qua per fidem est, hæres sit constitutus. Quòd verò Noah dicitur vir justus; adde & perfectus, id potissimum de justitiâ fidei intelligendum est, quia invenit gratiam coram Deo, Genes. 6. vers. 8. Notes præterea illud, quòd perfectio, quæ fidelibus in Scripturâ tribuitur, duplicem habeat respectum, videlicet fundamenti in Christo fide apprehenso; deinde vel comparationis, vel oppositionis ad injustitiam, aut justitiam hypocriticam aliorum, vel termini perfectionis, ad quem tendit. Extra hos respectus nulla est fidelium perfectio in hoc mundo: Ipsi enim fatentur, quòd bonum non possint perficere; & sentiant stimulos carnis, &c. Quòd verò Zacharias & Elisabetha irreprehensibiles & justii dicuntur, id non simpliciter accipiendum, (erat enim Zacharias vituperabilis, quòd Angelo non credebat, ob quam etiam incredulitatem à Deo puniebatur) sed vel de justitiâ fidei, vel de novâ obedientia, secundum judicium humanum, vel (ut Augustinus scribit lib. 1. de gratiâ cap. 48.) secundum

Quo respectu  
fidelibus tri-  
buatur perfe-  
ctio.



dum quandam inter homines conversationem laudabilem atque probatam, quam nullus hominum posset justè in accusationis & criminationis querelam vocare, & quam propterea in Dei conspectu habuisse referuntur, quia in ea homines nullâ dissimulatione fallebant, sed ut apparebant, ita noti erant oculis DEI. Quòd si non tantùm secundum hominum, sed & Dei judicium videntur, hæc intelligenda, quia coram DEO justì esse dicuntur; judicium Dei iterum hoc loco intelligi potest, non severam & exactum secundum legem; sed clemens & benignum secundum Evangelium. Etiam si enim opera illa in judicio ipsius consistere non potuerint, tamen DEO grata erant & accepta, quoniam proficiscebantur à personis fidelibus; & infirmitates, quæ aderant, merito Christi tegebantur. Erant igitur opera illorum irreprehensibilia, non simpliciter, sed κατὰ τὴν; quoniam id, quod reprehensibile erat, Christi pallio tegebatur.

De dicto Rom. 8. v. 29. & 1. Corinth. 15. vers. 49. ubi dicuntur justì conformes esse imagini Christi, & portare imaginem ejus. Atqui CHRISTUS non fuit putativè justus, sed verè & propriè. Ergò idem de nobis affirmandum. Aliàs sequeretur, nos magis esse conformes imagini Diaboli, quàm Christi, si peccata nostra non delerentur infuso justitiæ habitu, &c.

Conformitas  
piorum cum  
immagine Christi  
triplex est.

Resp. 1. Calumniam admiscet Jesuwita de justitiâ putativâ: Non enim à nobis docetur, quòd putativè κατὰ δόξαν, justì simus, sed imputativè & simul verissimè, nempe justitiâ & satisfactione Christi, per fidem apprehensâ. 2. Conformitas nostra cum imagine Christi triplex est; Una ad imaginem gloriæ, opposita ei, quæ est ad imaginem afflictorum Christi: Et de hac potissimùm agitur in citatis locis. Quæ enim oppositio instituitur inter imaginem primi Adami & secundi; ea ex sensu Apostoli, in utroque loco, mortalitatem & immortalitatem, terrenas & cœlestes corporis qualitates spectat, non peccatum propriè aut CHRISTI justitiâ imputatam. Altera ad imaginem obedientiæ CHRISTI, quam quidem imperfectè præstamus in hoc mundo, perfectè autem



autem præstita à Christo, nobis applicatur. Est enim duplex. Duplex usus  
usus justitiæ Christi: Unus primarius, satisfactionis & meriti, justitiæ Christi  
quod nobis imputatur. Alter secundarius, exemplaris ac docu-  
menti, secundum quem justitia ejus, nostræ inhzrentis justitiæ  
regula est, quem etiam quadantenus, licet non totaliter, expri-  
mimus, secundum quam meritò ipsi conformes dicimur. Tertia  
& postrema conformitas est mortis, sepulturæ & resurrectio-  
nis Christi. Dicta verò allegata loquuntur vel de conformitate  
gloriæ, quæ demum futura est; vel de conformitate justitiæ, quæ  
quodammodo inconformis est, cum nemo hominum justitiam  
Christi adæquare valeat.

LIII. Septimus ex Rom. 6. ubi dicitur, per justificationem, quæ  
morimur peccato, & resurgimus justitiæ; representari Christi mor-  
tem & resurrectionem. CHRISTUS autem non putativè, sed verè mor-  
tuus est.

Resp. Non dicit Apostolus, nos per justificationem repræ-  
sentare Christi mortem; neque agitur ibi de justificatione, sed  
de illius fructibus. Quòd autem scribit Paulus v. 7. Qui mortuus  
est, justificatus est à peccato; sciendum, quòd eo in loco justificari  
accipiatur pro liberari, ex Hebræorum idiotismo, qui cum ante-  
cedente consequens conjungat. Ita enim hoc exponitur v. 18.  
deliberati à peccato, mancipati estis justitiæ. Alienum etiam est à quæ-  
stione hoc argumentum Bellarmini. Nos enim non negamus,  
hominem per Baptismum mori peccato, & resurgere ad justi-  
tiam; interim tamen distinguimus distincta Christi beneficia.  
Aliud enim est justificatio, quæ fit per fidem, & confertur in Bap-  
tismo; aliud est nova obedientia sive sanctificatio, quippe illius effe-  
ctum & consequens, quod non justificat, sed à justificato profi-  
ciscitur, & fructus est fidei.

LIV. Octavum petitur ex Rom. 8. v. 10. quòd dictum à Bel-  
larmino ita mutilatè & depravatè citatur, ut sola lectio textus  
Apostolici, fraudes Jesuwiticas abundè refutet. Nam quòd  
Paulus vocat corpus, (id est, hominem non regeneratum,) &  
Spiritus, (id est, hominem regeneratum,) id accipit Jesuwita  
de partibus hominis duabus, corpore nimirum & animâ, & ubi  
Apostolus dicit, corpus mortuum est, Jesuwita sic depravat, corpus



adhuc mortale est & pro his Pauli verbis: Spiritus vita est, substituit illa, Anima, quæ vivit. Quæ depravatio cum sit crassissima, non immorabimur, sed potius ad alia pergemus.

## Classis decima,

*Continens argumenta Bellarmini, quibus negat fidem solam justificare.*

L V. Disputat Jesuwita lib. 1. de justificatione, totis tredecim capitibus ultimis, contra hanc propositionem, *Sola fides justificat.* Argumenta verò pleraque talia sunt, ut facilimè dissolvi possint, ideoque non multum operæ in eorum examinatione ponemus.

L V I. Cap. 12. proponit statum triplicem, *An fides sola justificet formaliter, An sola dispositivè, An sola conservativè?* hoc est, num sufficiat fides ad conservandam justitiam? Additque, *sibi rem potissimum fore de dispositionibus; Anne fides sola disponat ad justificationem?* Cui respondemus, hunc statum planè esse alienum, siquidem non dispositivè accipiendam docemus hanc phrasin, *Sola fides justificat;* sed quærimus, *Anne aliud sit instrumentum vel medium, quo justitia Christi apprehendatur, & nobis applicetur, quàm fides?* De dissensionibus nostratum Theologorum, quæ objicit Bellarminus, non magni sunt momenti. Sæpiùs enim solet fieri, ut sub initiis alicujus controversiæ non omnes unum sentiant, præsertim in talibus, quæ non concernunt ipsum fundamentum.

L V I I. Cap. 13. demonstrare conatur, quòd etiam timor, dilectio & spes in Scripturis dicantur justificare, quæ argumenta pleraque supra sunt discussa. Cap. 14. talem proponit ratiunculam: *Si fides à spe & dilectione alijsq; virtutibus separaretur, sine dubio ju-*

*Quo sensu si- stificare non poterit. Quare spes & dilectio unà justificant. Respon. Est des SOLA di- cæpovvutca in verbis Sola fide, quæ accipit Jesuwita pro solita- catur justifi- riâ vel separatâ fide, quod nos minimè docemus. Nam fides ve- care. ra nequit esse sola, hoc est, a se separata à dilectione & spe.*

Fides



Fides quidem sola habet hanc proprietatem sibi peculiarem, non cum virtutibus aliis communem, ut apprehendat in Evangelii promissione Christi meritum & obedientiam, atque ita justificet. Hoc, inquam, solius est fidei, non dilectionis, non spei, vel aliarum virtutum. Non autem statim sequitur, quod virtutes aliae à fide prorsus sint separatae; *Ἐπίστεως* docemus, non *ἀφ'ἀγάπης*. Distinguat<sup>r</sup> inter essentiam vel essentialia fidei propria, & inter ejus existentiam. Fides non existit sola sine aliis virtutibus, (nunquam enim est otiosa,) sed ob id non sequitur, quod ratione suae essentiae & essentialium attributorum non sola possit operari. Multa simul existunt, quae tamen suis essentiis & essentialibus proprietatibus maximè sunt distincta. Nunquam existit homo sine colore; attamen ratiocinatur sine beneficio coloris. Nunquam existit homo sine pedibus; attamen videt sine beneficio pedum. Non igitur omnia, quae conjuncta sunt, conjunctim agunt. Quam ob causam? Quia unitas existentiae non importat unitatem essentiae & essentialium proprietatem, à quibus actiones profluunt. Licet igitur multa existant unà, ut invicem separari nequeant, attamen quia diversas adhuc in ista unà existentia retinent essentias & essentielles proprietates, hinc fit, ut sicut unum non constituit alterum, ita neque unum eadem omninò cum altero efficiat & praestet officia. Sic manus in homine non est sola, hoc est, sine aliis membris corporis, & tamen sola accipit, quod datur. Oculi non sunt soli sine aliis membris, & tamen soli vident. Os non est solum sine aliis membris, & tamen solum manducat. Solis splendor nunquam est sine calore, & tamen absque calore splendet. Terrae gravitas non est absque siccitate, & tamen terra non fertur deorsum per siccitatem. Ita fides nunquam est sola, hoc est, non existit sola, sine aliis virtutibus; attamen suum essentialia officium, quod est justificare, sine iis expedit, ideoque ne causa cum effectu confundatur, distinguenda est fides à virtutibus, *tum* ratione essentiae, *tum* ratione proprietatum essentialium, *tum* ratione officii & actionis peculiaris, videlicet justificationis, quoniam essen-

tia



tia fidei non est essentia charitatis, licet simul existant. Sic igitur hæc conclusio: *Fides justificans sine operibus sola non existit, sola autem sine ope & adjumento virtutum justificat.* Atque huc refero verba Lutheri in capit. 15. Genes. *Scio has virtutes esse insignia DEI dona, scio fidem sine his donis non existere. Sed nunc nobis questio est, quid cujusque proprium sit? Tenes manu varia semina, non quero ego, quæ quibus conjuncta sint. sed quæ cujusque propria virtus sit. Hic apertè dico, quid fides sola faciat, non cum quibus virtutibus conjuncta sit. &c.*

LVIII. Sed urget Jesuwrta, quod fides naturâ precedat dilectionem, ideoq; si sola justificare dicatur, mox infert, quod sola existat, sine dilectione, cum justificat. Respond. Prioritas naturæ provenit ab essentia, prioritas temporis spectat existentiam. Libenter igitur concedo, fidem, ut naturâ prior est dilectione, sic suum etiam posse exequi officium; sed non sequitur, quod unum possit existere sine altero. Deinde propriè loquendo incommoda est phrasis ista, *Fides ante dilectionem justificat*; non secus atque incommodè dicitur, *Solem lucere ante radium*, licet Sol naturâ prior sit radio. Sic rationis effectus est loqui & videre, quibus naturâ prior est ratio, & tamen tempus nullum cogitari potest, quo existat ratio, & nondum existat proprietas loquendi & vivendi. Ita fides justificans naturæ ordine prius apprehendit Christum, & sequitur dilectio; tempore autem illa sunt simul & separari nequeunt. Nam verissimum est axioma istud: *Forma rei naturâ prior est proprietatibus, quæ ex eâ promanant, etiamsi tempore sint simul.*

Num fides possit reipsâ separari à dilectione? N. LIX. Capit. 15. probare intendit, fidem posse re ipsâ à dilectione aliisque virtutibus separari, idque facit argumentis septem. I. Ex Job. 12. v. 42. R. dictum istud loquitur de fide dogmaticâ & assensu historico tantum, II. Ex 1. Corinth. 13. v. 2. R. Loquitur non de fide justificâ, sed vel historicâ, vel miraculosâ. III. Ex Jacob 2. v. 14. Resp. Loquitur de fide hypocritica, seu de nudè fidei professione & jactantia. IV. Ex similitudinibus, ostendunt in Ecclesiâ esse bonos & malos simul, Matth. 23. 22-25. Respond. Loquuntur ista dicta de externâ tantum fidei professione, ob quam fideles dicimur, quia sumus in visibili cœtu



coetu Ecclesiae. V. Negat dilectionem oriri ex fide, tanquam  
proprium effectum ex propria causa, affirmans *fidem tantum dispo-*  
*nere & inclinare ad diligendum*, cujus rei nos requirimus peripi-  
cuam & evidentem rationem. VI. Ab absurdo, quia si necessariò  
cum fide conjuncta sit dilectio, inde sequetur, justificationem  
etiam pendere ab operibus & dilectione, ac per hoc neminem  
de suà justificatione posse esse certum. Resp. est ἀνακόλυστον.  
Nec enim quia fides sine operibus non est, idcirco justificatio ab  
operibus pendebit, cum duo sint diversa enunciata, esse absque  
operibus; & absque operibus justificare. Neq; dilectio perficit  
formam fidei, ut per dilectionem fides sit vera fides; verum ea  
est fidei proprietas, ut Christo in Evangelii promissione appre-  
henso, sese exerat & exerceat per dilectionem, ex quâ dilectione  
tanquam effectu, agnoscitur & indicatur, fidem esse veram &  
vivam; sicut arbor bona arguitur ex fructibus bonis, neq; hinc  
colligi potest, bonitatem arboris pendere à fructibus, etiamsi ex  
his de eâ fiat judicium. VII. Ex consensu Patrum, quorum testi-  
monia loquuntur de fidei professione, quam illi negant suffi-  
cere ad salutem, cum possit separari à dilectione; quod & nos  
publicè privatimque constanter docemus.

LX. Cap. 16. argumentatur à remotione causarum, quæ  
possent reddi, cur fides justificet. Prima est *authoritas verbi*, quo- *Cause, cur fi-*  
niam sacra Scriptura ita docet. Ad quod respondet ipse nega- *des sola justi-*  
tivè: Affirmativa autem jam modò probata fait. 2. Est *volun-* *ficit.*  
*tas DEI*; qui nos cum solâ fidei conditione vult justificari. Re-  
spondet Bellarminus contrarium dicere Scripturam, quæ po-  
nat etiam conditionem pœnitentiæ. Respond. Novum est, qui-  
bus rebus opponatur exclusiva, videlicet non verbo & Sacra-  
mentis, non gratiæ & merito Christi, sed instrumentis appre-  
hendentibus aliis, & bonis operibus. Possunt igitur hæc bene  
stare: *Solâ fide justificamur, & : Non sine verbo & Sacramentis justifica-*  
*mur.* Conciliatio est facilis, & cuius nota. 3. Est *natura fidei*,  
quæ sola apprehendit justitiam, & sic apprehendendo justifi-  
cat. Excipit Bellarminus, 1. *fidem proprie non apprehendere, hoc*  
*enim neq; notitiæ neq; fiduciæ convenire.* 2. *Si quodam modo apprehen-*  
*dere dicatur, pariter hoc ipsum posse dici de dilectione & Sacramentis.* Resp.  
F. Appre-



*Apprehensio-  
nis species.*

Apprehensio duplex est; Una *corporalis*, quæ fit manibus: Alie-  
ra *Spiritualis*, quæ fit animo. Et hæc rursus *vel* est apprehensio  
intellectus; & nihil est aliud, quàm cognitio rei: apprehen-  
dendo enim rem, cognoscimus eam: *Vel* est apprehensio vo-  
luntatis, notans desiderium & accessum ad Christum ejusque  
meriti sufficientissimi applicationem & appropriationem fidu-  
cialem. Utraque apprehensio concurrit in fide justificante, ita  
quidem, ut apprehensio fidei, nihil sit aliud, quàm *fiducialis per-  
suasio*, quâ peccator pœnitens Christum pro se quoque mortuum esse, & pro  
suis peccatis satisfacisse credit, ob quam justitiæ apprehensionem  
Deus hominem à pœnâ peccati absolvit, & justum pronunciat.  
Competit igitur fidei apprehensio verissime; In quantum est *no-  
titia*, apprehendit *cognoscendo*; In quantum est *fiducia*, apprehendit  
*confidendo*. Conjunge utramque, & habebis veram ac justifican-  
tem fidei apprehensionem. Non enim putandum, quòd fides  
justificet, quatenus mera est noticia & apprehensio mentis, hoc  
est, quatenus in genere credit homo, Christum pro peccatis esse  
mortuum; sed potius, quatenus est *fiducia & apprehensio volun-  
tatis*, hoc est, quatenus homo non solum pro certo habet, Chri-  
stum esse mortuum, sed etiam confidit, per hanc ipsam Christi  
mortem, pro suis quoque peccatis satisfactum esse, ideoque se  
coram judicio Dei à pœnis peccatorum absolutum iri. Hoc au-  
tem neque charitati, neque Sacramentis competit. Nam, uti  
dictum, apprehendere meritum Christi, est firmissimè credere;  
& verissimè judicare (quod intellectus est,) Christum pro  
suis quoque peccatis omnibus satisfacisse, simulque in hoc fidu-  
ciam omnem collocare, (quod est voluntatis.) Atqui dilectio  
neutrum præstat. Dum enim diligo, diligendo non fiducialiter  
mihi persuadeo; Christum pro me satisfacisse; Nam hic actus  
non est dilectioni proprius; sed potius, quia scio, credo & con-  
fido, Christum pro me solvisse *λύτρον*, ideo ipsum diligo, hoc  
est nihil mihi placet ex rebus omnibus, quàm Christus; ad nul-  
lam rem magis propendo, quàm ad Christum, quæ propensio  
certè non est fiducialis persuasio, licet sint invicem connexa &  
conjuncta. Actus enim charitatis tres sunt, *Primus* spectatur  
in affectu, quo alteri benè volumus; *Secundus* in desiderio, quo  
cum

*Tres actus  
charitatis.*



cum re armata uniri cupimus: *Tertius* in gaudio, quo unionis hujus compotes facti perfruimur. Nullus verò ex his actibus continet actum apprehendendi. Quamvis enim Bellarmius putet, unionis desiderium, vel ipsam potius unionem amantis & amati, apprehensionem dici posse, suoque sensu id concedi queat; attamen hæc non est apprehensio meriti Domini, quæ sola justificat; non est fiducialis persuasio, CHRISTUM satisfecisse. Quare longè alia est apprehensio fidei, & alia charitatis: *illa* apprehendit meritum CHRISTI, dum homo sibi persuadet, CHRISTUM pro se esse mortuum, & in hoc fiduciam collocat, atque ita justificatur: *Hæc* apprehendit non actionem vel passionem CHRISTI (& sic objectis differunt hæc apprehensiones) sed ipsum CHRISTUM, vel potius totam TRINITATEM, dum homo sæpius de illa cogitat, illam desiderat, & in eâ unicè sese oblectat. Ex quo fide sola, non charitate, tanquam instrumento apprehendente nos justificari. *Sacramenta* verò quod attinet, illis nequit vis apprehensionis justificantis tribui. Sunt enim instrumenta & media non apprehendentia, sed offerentia & exhibentia: Sola autem fides est instrumentum apprehendens, sive recipiens.

LXI. *Cap. 17.* intendit probare, quòd fides justificet per modum dignitatis & meriti, plura verò esse opera, quæ idem merentur. Unde concludit, *fidem non justificare solum.* Probat id ex testimoniis, quæ docent, *fide esse causam justificationis.* Respond. Aliud est *Ἄλλο τὸ πῶς*, aliud *Ἄλλο τῆς πίστεως*: Illud causæ est & meriti, qualia leguntur Roman. 3. & 5 Ephel. 1. *Hæc* instrumenti & medii. Dicimur autem justificari non *Ἄλλο τὸ πῶς*, sed *Ἄλλο τῆς πίστεως*. Nec eadem est ratio operum, & fidei in oppositione; quia opera rationem habent, justitiæ in hærentis, fides autem rationem habet, justitiæ, nobis imputatæ. Sensus igitur assertionis Paulinæ hic est: *Justificamur non ex operibus*, videlicet tanquam meritis, sed ex fide videlicet ratione apprehensi meriti. Proinde quando removen-  
Aliud est Ἄλλο τὸ πῶς & aliud Ἄλλο τῆς πίστεως.





rūm etiam sub ratione falsi meriti removentur. Et per consequens fides nequit habere rationem meritoriam, alias ista exclusio nulla foret. Nam ut hoc colophonis loco notetur, particulæ exclusivæ in hoc articulo triplicem habent usum.

1. Opponuntur instrumentis aliis, & notatur, quòd sola fides sit medium apprehensivum.

2. Opponuntur operibus & meritis, ut dicetur, nos non per dignitatem aliquam inhærentem, sed tantum per Christi justitiam fide imputatam justificari.

3. Opponuntur objectis fidei generalibus, qualia sunt historicae Biblicæ & omnes articuli religionis Christianæ, quibus assentiri non est justum esse, sed sola fides in Christum, vel Christi meritum apprehendens imputatur ad justitiam.

## Classis undecima,

*Continens argumenta Bellarmini, justitiæ  
Christi imputatæ in specie op-  
posita.*

LXII. V. Lib. 2. de Justificat. c. 7. proponit Bellarminus decem argumenta; justificationem non consistere in imputatione justitiæ GHRISTI, quæ ordine, attamen breviter, examinabimus. Primum: Nullibi in Scriptura legitur, Christi justitiam imputari nobis ad justitiam, vel nos justos esse, per Christi justitiam nobis imputatam. Respond. 1. Habetur hæc doctrina expressa, Rom. 4. v. 6. θεὸς λογίεται δικαιοσύνην ἡμεῖς ἕγγων, 1. Corinth. 1. vers. 30. Christus factus est nobis à Deo sapientia & justitia. 2. Per bonam consequentiam è Scripturis deducitur, quia remissio peccatorum non imputationis nomine exprimitur, Rom. 4. v. 7. & 8. quia propriam seu inhærentem justitiam negat Apostolus, ut  
stabi.

*In Scripturis  
habetur justiti-  
am nobis im-  
putari.*



stabiliat eam, quæ ex imputatione est per fidem, *Philip. 3. v. 8.* & tandem quæ est ratio peccati nostri in Christo, eadem esse dicitur justitiæ Christi in nobis, *2. Cor. 5. v. 21.*

LXIII. Secundum: *Nulla necessitas talis imputationis afferi potest.* Resp. Sacrosancta verbi divini authoritas, annôn necessitatem satis magnam importat, ut hanc doctrinam de imputatâ justitiâ amplectamur? Quod enim verbum Dei docet, illud necessariô est recipiendum & credendum, si modò salvari quis cupiat. Deinde sunt & aliæ necessitatis hujus causæ. 1. Duplici malo subjecti eramus, pœnæ nimirum & culpæ. Huic duo etiam beneficia opponi oportuit, videlicet pœnæ, remissionem peccatorum: Culpæ imputationem justitiæ. 2. Duo sunt necessaria ut legi satisfiat, 1. ut liberemur à pœnâ, quàm lex minatur: 2. ut præcepta legis impleamus. *Illud fit imputatione passionis, hoc imputatione justitiæ Christi.*

*Causæ, cur justitiæ Christi nobis imputetur.*

LXIV. Tertium: *Si justitia inherens perfecta est & absoluta, non opus est imputatione justitiæ Christi.* Verum prius, quod probat nonnullis dictis. Ergo & posterius. Sed ad dicta ista pleraque supra fuit responsum. *Vel enim loquuntur de justitiâ imputatâ, quam perfectam esse non negamus; vel explicanda sunt comparatè, conferendo talia opera cum factis hypocritarum.*

LXV. Quartum. *Duabus formis contrarijs presentibus res denominatur ab eo, quod magis est proprium. Quare cum adsit duplex justitia, inherens & imputata; homo ab inherente potius, quàm ab imputata justus erit denominandus.* Resp. Inherens justitia imperfecta est. Ergo neminem reddit perfectè justum. Qui autem vult à pœna absolvi in judicio DEI, illum oportet perfectè justum esse, quod aliter fieri nequit, nisi per imputationem justitiæ CHRISTI.

LXVI. Quintum. *Sequerentur, nec dici posse Redemptores & Mediatores.* Resp. Nomen Redemptoris & Mediatoris est nomen officii: Non autem imputatur, nec nostrum fit Christi officium, sed officio acquisita justitia. Ob id justii quidem, sed non redemptores dicimur. *Aliud est officium, Aliud est officii fructus, hic, non illud imputatur.* Deinde ut aliquis sit Mediator requiri-

*Cur nequeamus dici Redemptores, licet Christi justitiâ imputetur.*



sicut universalitas subiecti, ut pro toto mundo satisfaceret, & habilitas personæ, quam oportet esse Deum & hominem, quæ conditiones in renatis planè deficiunt.

Restitutio imaginis divine duo complectitur.

LXVII. Sextum: Christus restituit ea, quæ in Adamo perdidimus: Non autem imputativam, sed inhaerentem justitiam perdidimus. Resp. Restitutionis imaginis Divinæ duæ sunt partes, Altera, depravatæ imaginis abolitio: Altera, pristinæ reparatio. Utrumque Christus acquisivit & promeruit: verum non statim, sed paulatim applicat, In hac vita reparationem inchoat, in altera consummabit.

Christus consideratur vel sui, vel nostri respectu.

LXVIII. Septimum: Si Christo imputata sunt peccata mundi, sequitur quod & verè injustus, & peccator, & filius Diaboli dici queat. Resp. Christus consideratur dupliciter, 1. Respectu sui. 2. Respectu nostri, quatenus personam nostram sustinuit. Respectu sui dicitur justus, sanctus & immaculatus: respectu nostri factus est peccatum, 2. Corint. 5. vers. 21. imò & maledictum, Galat. 3. v. 31. Filius autem Diaboli sine blasphemia nuncupari nequit, quia inhaerenter injustus non fuit.

Ecclesia est pulchra & nigra.

LXIX. Octavum. Ecclesia in cantico vocatur Sponsa Christi; Sponsam autem inhaerenter oportet pulchram esse. Resp. Sponsa in Christi in cantico fatetur, se esse nigram, & interim affirmat, se esse decoram, cap. 1. v. 5. Confessione illâ agnoscit deformitatem suam nativam & inhaerentem: Affirmatione istâ prædicat pulchritudinem acceptam à Sponso, quæ vel imputata est, vel inhaerens, sed inchoata. Neque pulchritudo Christi & Ecclesiæ specie differunt, sed subiectis duntaxat & modo proprietatis. Una enim & eadem est pulchritudo Sponsi & Sponsæ; sed Christo competit modo inhaerentiæ; Ecclesiæ, modo imputationis, quæ pulchra dicitur inter mulieres, non opposita ad Christum, sed ad alias mulieres.

LXX. Nonum. In justificatione præparamur ad visionem Dei, ad hanc autem non sufficit mundities imputata, sed requiritur inhaerens. Resp. Mundities, quæ præparamur ad visionem Dei, tam ea est, quam imputatione habemus, quam quæ nobis subiectivè inest in hac vitâ. Neque imputatio est res inanis, quæ tantum videatur aut  
pote-



pätetur esse, sed potius res est certissima & potentissima, fundamento nitens immotissimo.

LXXI. Decimum. *Christus passus est, ut sanctificaret Ecclesiam.* Ebr. 13. Ephes. 5. Tit. 2. Johan. 17. Ergo inhaerenter sancta est. Resp. Sanctificatio vel significat ipsam justificationem, consistentem in sanctitatis imputatione; vel justificationis effectum, consistentem in sanctitatis inhaerentia. Illa dictis istis denotatur; hæc tantum inchoatur in hoc seculo, & tamen Christi etiam merito in solidum adscribenda est.

## Classis duodecima,

*Continens argumenta, ex analogia fidei & ratione desumpta.*

LXXII. 1. Si renovatio mentis prior est fide, prior etiam erit justificatione, & per consequens causa ejus, non effectus. Verum est prius. Ergo & posterius. Minor probatur: Ex naturalibus viribus nemo potest credere. Cum igitur fides partim sit noticia, partim fiducia, necessum erit, ut is, qui debet credere, illuminatum prius habeat intellectum & immutatam voluntatem, ut sic verbo Dei assentiri, quatenus mens ejus est illuminata; & in Christum fiduciam possit collocare, quatenus voluntas ejus immutata. Ergo renovatio semper præcedit fidem, adeoque & ipsam justificationem. Hujus igitur vel effectus vel consequens non erit.

Resp. Fallum est, quoad nemo possit credere, nisi qui sit jam ipso actu totaliter renovatus. Nam fides duplex est, actualis & habitualis. Hæc quidem locum habere nequit nisi in homine jam renovato; sed illius alia est ratio. Nam fidei causa est Spiritus sanctus, qui operatur illam vel immediatè sine nobis; vel mediatè unà cum nobis, & per donum renovationis, hominibus justificatis concessum. Fides prima hominis peccatoris & justificandi, (quæ habitualis non est, cum prima sit) provenit & excitatur sine nobis immediatè, & tantum à Spiritu sancto, qui verbo suo facit, ut assentiantur & confidamus, ideoque gratia hæc vocatur operans, non cooperans, quia nondum infusum est re-  
nova-

*Fides alia est actualis, alia habitualis.*



novationis donum. Et ad hanc fidem non est necessaria renovatio, siquidem sufficit immediata Spiritus sancti, vel potius solitaria ejus actio. Atque ita se habet fides justificandorum. Quod autem *justificatos* attinet, quorum fides quasi habitualis est, libenter concedimus, quod illi sint renovati, ideoque fidei istius causa duplex esse potest; *Spiritus sanctus & Mens Renovata*, unde gratia Dei, quæ fidem hanc in renatis efficit, non simpliciter operans, sed *cooperans* dicitur, ut hoc ipso indicetur, illam non esse solitariam causam fidei habitualis, sed adesse simul etiam, cum quâ operetur, vel cui cooperetur gratia Spiritus sancti, videlicet inhaerentem istam & inchoatam sanctitatem.

LXXIII. II. *Fide sumus justi: Fides est opus: Ergo operibus sumus justi.* Argumentum hoc inculcat Bellarminus lib. 1. de justificatione cap. 16. ubi dicit: *Actus fidei est quoddam opus & quidem insigne, & hoc nomine appellatur in Evangelio Iohan. 16. Dicente Domino, Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, responderunt Iudæi; Quid faciemus, ut operemur opera Dei? quibus Dominus ait, hoc est opus DEI, ut credatis in eum, quem misit ille.*

Quo sensu fides dicatur opus.

Respond. 1. Quod nihil inde solidi queant inferre Pontificii, pro obtinenda causa sua, siquidem justificationem non formaliter in operibus (quod hoc argumento concluditur,) sed in habitu justitiæ infuso consistere putant. Vide Bellarminum lib. 2. de justificatione cap. 4. ubi inquit: *Non formaliter justi sumus opere nostro, sed opere Dei.* 2. Quod attinet locum istum Ioh. 6. v. 29. dicimus, verba Christi esse accommodata ad quæstionem suorum auditorum, quæ continetur vers. 28. *Quid faciemus, ut operemur opera Dei,* quasi dicant, jam antè nobis satis constat, ex divinâ lege, quæ opera DEUS requirat, nempe circumcisionem, sacrificia, &c. Quid ergo est, quod nos jubes operari cibum? An alia opera nobis præcepturus es, quàm Moses præcepit? Hic Christus respondet: *Hoc est opus DEI, &c.* Unde constat, appellationem operis hoc loco latam esse & generalem, Dei que cultum notare. Est igitur Christi sententia: *Vnus hic verus & summus DEI cultus est, credere in Messiam & Redemptorem mundi.* Dicitur



Dicitur autem fides Opus DEI. 1. Quia à DEO præcepta est, *Car fides*  
*Matth. 17. v. 5. Hunc audite.* 2. Quia præstantissimus cultus nuncupetur  
est, quo Deus à nobis honoratur, & sic κατ' ἐξοχλή; 3. Quia opus &c.  
non est virium humanarum, sed donum ipsius DEI, 1. *Corinth.*  
*12. vers. 3. 9. Philip. 1. vers. 29. 3.* Sunt quatuor termini: Fides enim  
in majore accipitur relative, in minore absolute, unde emergit  
πλεονεξία terminorum. Major enim si fidem absolute sumat,  
falsa est: nos enim non dicimus fidem justificare in quantum  
opus est, sed quatenus instrumentum est, apprehendens meritum  
CHRISTI,

LXXIV, Instant Pontificii: Ipsa apprehensio est opus. Ergo si  
fides justificat, quæ apprehendit, opus quæ opus justificabit. Ipsum enim τὸ  
apprehendere nihil est aliud, quàm operari. Resp. est ὁμωνυμία in vo-  
cabulo operis: Accipitur enim 1. ἄνωγος, pro omni actione, sine ad-  
ditamento alicujus respectus; & sic fidem vel apprehensionem  
meriti: Domini opus quoddam esse negari haut potest. 2. εἰδι-  
κῶς & ἰδίως pro opere in lege præcepto fidem consequente, cum additio-  
ne hac, ut simul includat rationem meriti. Atque talia ope-  
ra intelliguntur, & tales actiones, quando nostri dicunt, operibus  
non justificamur, hoc est, propter opera moralia non justificamur.  
Ideò enim negant, operibus nos justificari, ne iis aliquod adscri-  
batur meritum, sed ut gratuita maneat justificatio, & ponatur in  
solâ imputatione justitiæ Christi. Quòd si ergo hæc chemata  
concedantur: 1. Nos nullo modo propter opera justificari &  
salvari. 2. Nos non alio modo justos esse, quam imputatione  
meriti Christi; tunc facillè dabimus Pontificiis, in justificatio-  
ne concurrere opus quoddam vel actionem quampiam, sicut  
in aliis acceptationibus donorum, necesse est, ut concurrat  
apprehensio; non tamen propter hanc apprehensionem, tan-  
quam meritum reddimur participes doni. Ita potest dici, quòd  
apprehendendo meritum Domini justificemur, non tamen pro-  
pter istam apprehensionem; Ideò quæ adhuc manet, quòd operi-  
bus non justificemur, quia justificari operibus, nihil est aliud,  
quàm propter opera justificari. Proinde non omne opus nec  
omnem actionem excludimus, sed duntaxat opus meritorium,  
& actionem meritoriam,

Operis voca-  
bulum dupli-  
citer sumitur.

G

Ope.





Operibus non justificamur, videlicet tanquam causâ meritoria; Fide autem, quæ opus est, justificamur, verum non tanquam merito, sed velut instrumento & medio, quod non efficit, sed applicat justitiam. Atque sic non pugnant ista: *Fide, quæ opus est, justificamur; & operibus non justificamur.* Distingui etiam posset inter opera & actiones, ita, quod quædam sint actiones recipientes, quæ ob receptionem magis sunt passionis, quam actionis, qualis fides: quædam producentes aliquid, & non recipientes, sed egredientes, & de his dicitur, quod non justificent.

LXXV. III. *Mala opera damnant. E. bona salvant, quia contrariorum eadem est ratio, vel quia contraria contrariorum sunt consequentia.*

*Quæ sit formalis causa damnationis.*

Respond. 1. Ad antecedens, illud simpliciter non concedi. Mala enim opera præcisè non damnabunt, sed sicut in Colloquio Mompelg. à Jacobo Andrea assertum fuit, *incredulitas potius damnabit, nempe quia homines non apprehenderunt meritum Christi, quo sufficienter pro ipsorum peccatis satisfactum est.* Sic Judas damnabitur non tam, quia Christum prodidit, quam quia Christi meritum, quo pro istâ prodicione satisfactum, non apprehendit, juxta illud Joh. 3. v. 18. *Qui credit in eum, non condemnabitur; qui verò non credit, jam condemnatus est, Joh. 16. v. 9. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia non credunt in me.* Ubi assertio habetur talis: *Qui credit in Christum, justificatur sive non condemnatur: quare, quia credit. Qui verò non credit, condemnatur, Quare? quia non credit.* Sic λόγος ἀμεσος condemnationis est incredulitas. Et licet quoque in Scripturis alia peccata dicantur damnare, & talia facientes à regno cælorum excludi, propter mala opera, ut Matth. 25. Gal. 5. v. 21. tamen hoc ita conciliandum est, quod omnia peccata damnent, videlicet *efficienter*, quoniam merentur æternam damnationem; sola autem incredulitas damnat, *formaliter & actualiter*; ob hanc enim impœnitentes actu condemnabuntur. Omnia peccata digna sunt morte æternâ, & annexum habent reatum; Possunt ergò damnare; sed actu non damnant, verum sola incredulitas hoc facit. Sic renati ob peccata adhærentia non damnantur, infideles autem damnantur ab ea. Quis sic? Quoniam illi credunt, hi non credunt. E actualis damnationis causa non sunt ipsa peccata, sed potius *incredulitas.*



dulitas. 2. Negamus consequentiam, & ad probationem dicimus, tunc demum contrariorum eandem esse rationem, si contraria sint paria, hoc est, si vera sit contrarietas. At contraria hoc loco non sunt paria; proinde non est vera contrarietas. Nam mala opera sunt perfecte mala, perfecteque repugnant legi Dei: At bona opera non sunt perfecte bona. Quam ob causam Rom. 6. v. ult. Apostolus noluit argumentum ducere à contrariis; sed cum dixisset, *stipendium peccati est mors, & ex naturâ contrariorum jam dicere deberet, stipendium justitiæ & bonorum operum est vita æterna, dicit, Donum Dei vita æterna.* Imò etiamsi perfecta forent opera nostra, tamen quia aliàs sunt debita, meritoria esse non possunt, juxta illud, Luc. 10. v. 10. *Etiamsi omnia feceritis, &c.* Igitur qui salvantur, ex gratiâ salvantur; & proinde non ex operibus. Qui damnantur, justè damnantur, ideoque propter mala opera, quia justitia justa non est, si non causas damnationis sufficientes in reo inveniat. Potest huc referri illud Augustini lib. 3. contra Julian. c. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus: potest sine bonis meritis salvare, quia bonus est; non potest sine malis meritis damnare, quia justus est.*

*Opera bona  
& opera mala  
non sunt perfecte  
contraria.*

LXXVI. Tandem IV. *Impletio legis est justitia. Dilectio est impletio legis, Rom. 13. v. 10. Ergo per dilectionem justificamur.*

Resp. De legali justitiâ concedo totum argumentum, quòd videlicet is, qui perfecte & Deum & proximum diligit, legaliter justus sit. Quæritur autem, Num aliquis perfecte possit diligere Deum: Hic Scriptura nos erudit, quòd hoc nemo possit, ideoque aliud medium sit quærendum, si justus esse velimus, quod monstrat Evangelium, ubi succurrit Christus cum suo merito, quod quando apprehenditur, tum demum vere justus reddimur. Quare si observatur distinctio inter justitiam Legalem & Evangelicam, facile ad hoc & similia argumenta respondere poterimus.

*Alia est justitia  
legalis,  
alia Evangelica.*

Soli Deo Gloria.







3g 2909

(713)

ULB Halle 3  
 002 387 158




Sb. 2011

3 1/2

VD 17


Handwritten scribbles











9470

Α Ο Γ Ι Α Σ  
Æ  
Ι Ο Χ Χ Ι Ι Χ .

ENTIS  
RUM, QUI  
CIAM IMPUTA-  
TE PUGNARE  
UNT.

b. Academia  
m proposita,

DIO  
RI, SS. Th. D.  
abl.

TE,  
/ GRIPSWAL-  
no.

Octobris.

Æ,  
S, Anno 1618.

